IOANNIS LAZARI
GVTIERRII,
SEPVLBEDENSIS,
DOCTORIS MEDICI, PINCIANI:

In eadémque alma Academia primò liberalium Artium, nunc autem Medicinæ publici Professoris.

OPVSCVLVM DE FASCINO,

THEOLOGIS HAVD INVTILE, PHILOSOPHIS proficuum, Medicis verò valde necessarium.

Non recipit stultus verba prudentiæ, nisi ea dixeris quæ versantur in corde suo. PROVERB. 18.

LVGDVNI,
Sumpt. PHILIP. BORDE, LAVR. ARNAVD, & CL. RIGAVD.

M. DC. LIII.
CVM APPROBAT. ET SVPERIOR. PERMISSV.

GRÄFL. STOLBERGISCHE BIBLIOTHEK ZU WERNIGERODE

APR[illegible], 1932

STRENVISSIMO VIRO
Nobilissimo Heroi, Iurisconsulto
excellentissimo

D. D. IOANNI DE GONGORA.

*IOANNES LAZARVS GVTIERREZ
Sepulbedensis, Medicinæ Pincianæ Doctor,
& publicus Professor salutem, &c.*

POSTQVAM potens ille bellator Alcides, NOBILISSIME HEROS, Antæi terrigenæ Gigantea membra compressit, bellica lassitudine oppressus vmbrosæ Pini tegmini clauam, & corpus imbelli somno commisit. En Pygmæa manus, illum letho prosternere putat assequutura fortè, ni sub tanta ar-

bore clauam figeret & Ægydem firmaret. O dirum exitium! ô nihil vnquam crescere patiens inuidia! non sine improbo labore (piissime Mœcenas:) superstitiosum Gigantem Giganteum fascinum hoc opusculo (in vniuersam vtinam vtilitatem) compressi. At cum Pygmæa ignorantiæ præsumptio, non alio quam veritatis sanguine satietur, idque clam, & occultè insidias veritati parans, tuam lucis inexpertem vmbram appellare decreui, quo tua eruditione tenebrionum machinas discutias, & tua nobilitate nostrum opusculum præfoueas. Magni, quippe habet adhuc Salmantica tuam inimitabilem prudentiam iuris, qua sua Gymnasia perlustrabas, maioris habet nunc Castellæ Regnum tuam inflexilem iustitiam, qua communi & priuato bono consulis, & grandia ac matura tua consilia, quibus Regiæ Cameræ Consultoris dignitate merito fungens iustitiam æqua lance foues, & Regnum æqua mente faues. Pusilla hæc mea fouere maioris semper nobilitatis erit, quàm alterius magna: quia hæc vi saltem aliqua non careant, illa vero ni magna vi seruentur facilis lapsus ominatur. Addito his parui huius munusculi oblationem, marmoreum tamen grati animi monumentum quo tibi pro tot in me collatis beneficiis gratus offerri contendo. Alter nunc

tibi

tibi occurro Sinæta, qui cum Artaxerxem quo munere prosequeretur (vt Persis Regi occurrentibus mos erat) non haberet, ad proximum fluuium cursu contendit & vtraque vola haustam aquam cum fausta acclamatione obtulit, paruo munere gratum animum ostentans, tum itidem, HEROS EXCELLENTISSIME, opusculum nostrum gratissimum animi obsequium è profundo Philosophiæ & Medicinæ pelago, manu vero pauperrima, haustum, accipito, pacatoque tutare vultu, ne edacis liuoris dentibus Pygmææ inscitiæ aculeis carpatur; atque hunc diem, & plurimos æterna laude tuæ nobilitatis, & virtutis incolumis, & fortis, aliis super alia operibus agas. Vale.

Lectori ingenioso.

SI quando Seneca verosimilia protulit (ingeniose Lector) tunc nihilominus putarim, quando nimirum in Herculem furentem exclamat: Prona est timori semper in peius fides, *quid obsecro in humanis frequentius? Quid rogito vsitatius? Detur de ominante periculo fama, vagetur de malo etiam dubio opinio: quid non certi humanus concipit animus? Quid non grauioris damni confirmat? Cedit consilium, prosternitur mens, eneruantur vires. Quid moror? Assentit periculo imaginatio, concedit ingenium falsitati locum, decipi mauult veritas, quam certum attentius perscrutari: Appositum hic est, quod in Apologis Leoni cum Rana contigisse legimus. Audijt ille magnam vocem huius, substitit, trepidauit, quidpiam magni futurum esse ratus. Stagnum conatur adire, voculâ semipiscis perterretur, conatur iterum aggredi, in peius labitur timor. At vbi stagno accessit, quam proculcabat pedibus, nequidem bestiolam videbat. Sed quorsum hæc accipito.*

Est vox magna Fascinum auditu horribile, dictu facile, notior de illo sententia, quam verior, audierunt vulgares, crediderunt illud, quid vlterius timuerunt. Quia deinde in illud nescio quo vana alexiteria commenti sunt (vt subticeam superstitiosam de illo Deitatem apud Gentiles nactam) cur hæc putas? Quia prona est timori semper in peius fides, *sed*

Fascinum

Fascinum audierunt Philosophi, auscultarunt Medici, quorum natura est, abstrusas rerum indagare. Substiterunt attenti; quidpiam etiam altero, & cicuta nocentius arbitrantes, sed vbi eius indagini accesserunt, irrationalis, amethodi, imo superstitiosi vulgi opinionem irridentes, nihilque esse Fascinum in rebus perscrutantes, triuerunt potius, quam nouerunt. Credes hoc (ingeniose Lector) si deposita inuidia nostrum opusculum perlegeris. Non quidem illorum more, qui non tam in aliena lectione quid vtilitatis, quam quid reprehensionis dignum inueniant, laborarunt. Magnum illud existimabo si vel eo tibi consuluerim, vel proficiendi, aut perficiendi occasionem præstitero. Sit tibi, obsecro, bona mens, quod mihi voluntas bona, quia ne cum idiotis, aut rudi plebe labaris, quod habeo, non quod debeo offero. Vale.

LICENTIA

LICENTIA ORDINARII.

NOs Prouicarius Generalis Illustrissimi Domini Episcopi Eduensis Administratoris Sede vacante Ecclesiæ Lugdunensis. Non imus inficias quin possit licitè typis mandari opus cui titulus *Ioannis Lazari Gutierrij Sepulbedensis Opusculum de Fascino*, cum neque quicquam contra fidem neque contra bonos mores contineat. Lugduni die 18. Iulij 1653.

DEVILLE.

PERMISSIO.

EGo infrà scriptus Regio nomine non impedio, quin hic liber inscriptus, *Opusculum de Fascino Lazari Gutierrij Sepulbedensis*, à PHILIPPO BORDE, LAVRENTIO ARNAVD, & CLAVDIO RIGAVD Bibliopolis Lugdunensibus excusus in publicam lucem prodeat, cum defensione, tali casu, requisita. Actum Lugduni 23. Iulij 1653.

VIDAVD.

ITA & me non dissentiente fiat. Lugduni die 24. Iulij 1653.

SEVE.

INDEX

INDEX DVBIORVM, ET TITVLORVM, HVIVS OPVSCVLI de Fascino.

DVB. I. QVID nomen? Quotupliciterve fascinum significet? pag. 1. n. 1

DVB. II. Quid de fascino senserit antiquitas? pag. 9. num. 1.

Aliorum apud Plutarchum sententia de Fascino refertur. pag. 11. num. 6

DVB. III. Diuiditur fascinum; quidque de illo senserint Iuniores exponitur. p. 14. n. 1

Fascinandi vis naturalis verbis denegatur, exsibilatur, exemplis eneruatur. ibid n. 2

De naturali verborum efficacia altera sententia adducitur, refellitur, imaginationisque vis limitatur. p. 17. n. 7

Reprehenditur Conciliatoris prouerbium, & ipse à calumnia vindicatur. p. 20. n. 12

Exponitur doctus Mendoza Iesuita, contra Zacutum lib. 1. de Medic. princip. histor. quæst. 53. conclus. 1. p. 23. n. 19

Cardanus reprahenditur, eiusque de Fascino sententia reprobatur. p. 24. n. 20

Daniel Sennertus reijcitur, & virtus imaginatiuæ, ex qua Fascinum admittit, de medio tollitur. p. 25. n. 21

Referuntur Auctores, Fascini præcipui sectatores. p. 28. n. 25

Reijciuntur qui hanc sententiam ex falso principio confirmant. p. 29. num. 27

Antonij Carthaginensis inuictißimi Imperatoris Caroli V. Medici opinio de Fascino traditur, & refellitur. p.30.n.28

Ioannis Ildephonsi sententia de Fascino adducitur. p.37.n.39

DVB. IV. Quid de Fascino verius sentiendum. pag. 41. num.1

Auctores grauißimi adducuntur, Fascini poßibilitatem, & existentiam abnegantes, quod tanquam Catholicæ Religioni certum & conformius approbatur. ibid.

Contagij natura, diuersitas, & ad illud conditiones exprimuntur. p 43. n. 4

Interpretatur Aristoteles de operatione potentiæ visiuæ ad extra. p.46. num. 8

Diuus Thomas ab impugnatione Antonij Carthaginensis defenditur. pag. 50. num. 13

Nomen Fascinum contra obseruatores quosdam deletur, retenta communi antiquißima, & authentica voce contagij. p. 54. n. 19

Conclusio probatur: reijciuntur omnia fascinatiua agentia. pag. 59. num. 26

Platonicorum sententia de operatione visus ad extra refellitur; vnde & fascinum per illum operatum. p.60.n.27

Alij Platonis sectatores, fascinum in eius sententia, de potentia visiua admittentes, conuincuntur. p.64.n.32

Exponitur Vallesius, atque ab inconsequentia liberatur. p.65.n.33

De Platonis sententia, adhuc admissa opinione altera, fascinum ex ea fieri non posse probatur. p.66.n.34

In Aristotelis probabiliori opinione de modo quo visus operatur, fascinum locum non habere astruitur. p.67.n.35

Firmatur hæc Galeni sententia: atque quædam eius impugnatio refellitur. p.69.n.38

Refellitur opinio affirmantium temperamentum naturale vnius hominis præternaturale esse alteri. p.74.n.43

Satisfit his, quæ suprà Ioannes Ildephonsus in Galenum obiecit. p.84. num.53

Virtus naturalis sanandi in hominibus aliorum hominum respectu reprobatur. p.89.n.58

Fortuna Medici communiter expetita expenditur, ad verum sensum reducitur, & fascinum ex ea deductum improbatur. p 92 n.61

Prima fortuna Medici detegitur. p.95.n.65
Secunda Medici fortuna exprimitur. p.98.n.68
Tertia Medici fortuna profertur. p.102.n.73
Quibusdam, quæ Carthabinensis contra dicta opponit, fit satis, reuinciturque Medici fortuna astrologica. p.108.n.79
Futilia Fascini signa tanquam fallacia reijciuntur. p.113.n.85
Fallaciæ arguuntur signa fascini relata à Carthagena. p.114.n.87
Infida Cardani signa expenduntur, & reijciuntur. p.117.n.90
Aliorum notæ Fascini notantur vt incertæ. p.118.n.92
DVB.V. Datúrne fascinum diabolicum? p.124.n.1
Fundamenta affirmantium referuntur. ibid.
Excluditur illa opinio, eligitur verior. p.126.n.3
Fit satis oppositis. Scripturæ sacræ, & Patrum testimonia ad verum sensum exponuntur. p.127.n.4
DVB.VI. *Contraeuntibus Dub.2. satisfit.* p.131.n.1
Irridentur superstitiosæ Gentilium de fascino opiniones. Commentum problematis 34. sect. 20. Aristotelis circa Fascinum adducitur. ibid.
Eliani historia ad rationem reducitur. Et quid de Marsorum virtute sentiendum? Zacutus notatus. p.135.n.7
Fabellæ quædam de mirabili virtute potentiæ visiuæ in externa, contemnuntur, Reguli infensa visio ad verum sensum reducitur. p.140.n.13.
Diuersa oculorum constructio expenditur. Fascinum ex illa non conceditur. p.141.n.14
Spreta hominum (quos Zahories vocant) fabula, quorumdam animalium mira virtus explicatur, ex qua vulgares fascino assentiunt. p.143.n.16
DVB.VII. Respondetur Dubio 3. obiectis. p.144.n.1
Referuntur quæ superiùs soluta extant. Satisfit Ioanni Ildephonso Complutensi. ibid.
Carpuntur historiæ quædam. Expenditur latè ficæ ex Gagate vsus, superstitioni datur. p.147.n.5
Notatur obiter Andreæ Laurentij liber inscriptus de mirabili vi strumas sanandi solis Galliæ Regibus concessa. p.153.n.12
Iterum virtus naturalis sanandi reprobatur. Salutatorum Hispanorum virtus expeditur. p.156.n.14

Causa fluoris sanguinis ex violenter occiso homine in occisoris praesentia scrutatur, & fascinum ex ea illatum reÿcitur. Apponensis notatus. p.160.n.20
Santorelius primus Medicinae in Academia Neapolitana Interpres super hoc refellitur. p.163.n.22
Alius dicendi modus adducitur, reÿcitur. Leuinius, & Valeriola improbantur. p.165.n.25
Experimenti illius probabilior causa eligitur; ex qua fascinum supponi nequit. Fit satis demum aliÿs obiectionibus. p.169.n.28
Experimenta taxantur, quatenus ex illis fascinum deduci aliqui tentarunt. p.169.n.29
DVB. VIII. Possitne morbus ope Daemonis illatus viribus curari naturae. p.171.n.1
Supponuntur morbi omnigeni Daemonis malitiâ hominibus illati. p.172.n.2
Statuitur morbos in conformatione, & soluta unitate Diaboli malitiâ nobis induci. p 175. n.7
Adducitur prima ad dubium responsio; tanquam suspecta & erronea haeresis arguitur. p.177.n.10
Aliorum iudicium profertur, variáque in Daemones medicamina referuntur. p.180.n.15
Distincta morborum veneficorum vera natura; dicendi modus communior exponitur. p.182.n.18
De morbis instrumentorum firmatur communis sensus. p 185.n.22
Sensus praemissae sententiae traditur; adducitur noua, & probabilior p 188. n.25
Supponitur remotionem signi diabolici licitam esse, & curationem medio medicamento naturalem, contra Petrum Pipernum, & Danielem Sennertum Medicos eximios. p.192.n.30
Communis sensus de morbis in soluta unitate naturali traditur; probabilior proponitur & firmatur. p.195.n.33
His quae contrariè sunt opposita fit satis. p.199.n.37
Interpretatur assertum ex libro de morbo sacro Hippocratis scriptis inserto. p.201.n.41
Ex daemonis tormento in aeterno igne non inferri actionem aliorum agentium materialium in illum exponitur. p.207.n.47

IOANNIS LAZARI

GVTIERRII,

SEPVLBEDENSIS,

DOCTORIS MEDICI, PINCIANI: in eadémque alma Academia primò liberalium Artium, nunc autem Medicinæ publici Professoris,

OPVSCVLVM DE FASCINO,

Theologis haud inutile, Philosophis proficuum, Medicis vero valde necessarium.

DVBIVM PRIMVM.

Quid nomen? quotupliciterve fascinum significet?

CIRCA primum annotato multum interesse quid nomine fascini intelligatur, perscrutemur, nam nomen est variè apud authores sumptum. Abhorret fateor vniuersa Philosophorum, & Medicorum schola à quæstione de *nomine*, abhorret præcipuè & noster Princeps Galenus; tum alibi sæpè, tum parti- 1.

culatim lib. 14. Meth. c. 9. 2. de loc. c. 6. & 2. de differ. febrium, vbi nullam sibi esse curam nominum scripsit. Ex parte verò hanc & similes & quæstiones approbat ibidē, dummodò res exactè non cognoscantur, & 2. Meth. cap. 1. sic concludit, *verum qui alterum docere volet quæ ipse tenet, huic prorsus nominibus propter res vti est opus.* Sed Plato in Cratylo nominum notitiam haud paruam rem esse suasit, reddit rationem ibi sic, *nomen itaque rerum substantiam docendi, discernendíque instrumentum est.* Ergò ad rerum cognitionem, si obscuræ ipsæ sint, earum nomina perfectè, & industriosè excogitari debent, quo res ipsæ perspicaciores appareant. At verò nomen *fascinum* à Medicis adhuc exactè cognitum non inuenio, vt monstrabunt quæ sequentur, id quod sensit Leonardus Vayrus lib. 3. huius operis cap. 2. *Quapropter* (dicit) *re expertum est, nec Medicos quidem specificam fascini affectionem, vnquam potuisse coniectura consequi, tantum abest vt eius cognitio omnibus nota sit.* Quæramus ergò quid illius nomine intelligatur, vt inde eius naturam aucupemur, vtque absque coniectura Vayro satis simus.

2. Angelicus Doctor super Epist. D. Paul. cap. 3. sic nomen *fascinum* exponit. *Ad sciendum autem, quid sit fascinatio, sciendum est quod secundum glossam fascinatio propriè dicitur ludificatio sensus, quæ per artes Magicas fieri consueuit, puta, cum hominem facit aspectibus aliorum apparere leonem, vel cornutum, & huiusmodi.* Idem præmiserat D. Hieronymus ibidem sic. *Fascinus est quando Magicis delusionibus aliter quædam oculis hominum ostenduntur, quam sunt: dicitur etiam fascinus vulgò qui nocet infantibus, dicuntur enim quorundam oculi, visu vrentes, dum & hic eorum actus fascinatio dicitur, & potest fieri vt peccato huic inseruiant Dæmones.* En nomen *fascinus* extēsius hic habetur à D. Hieronymo, quas omnes significationes Nicolaus Perotus in Cornucopia super Martialem Epigramm. 2. resumpsit colum. 275. lin. 61. *Et fascinum* (*dixit*) *cum oculorum aut Verborum, aut alicuius alterius rei, maleficio homines ità ligantur, vt liberi non sint, nec mentis compotes.* Huic Zacutus adhæsit lib. 3. de Med. princip. hist. quæst. 31. *fascinum,* à *fasce,* vel *fascia* dici coniectans, quia ligat & quasi fasciat quem læsit.

3. Hinc habes quotupliciter nomen *fascinum* significet; namque vel

vel ſonat Magicam deluſionem, virulentamve luem per oculos immiſſam per verbave, ſeu aliquo ex his, Dæmonis malitia inductum, inferius vera conſtabunt. Lacædemones referente Hieronymo de Huerta in Problematibus Philoſophicis, Problem. 1. Artem Rhetoricam faſcinum vocabant, quia ipsâ Rhetores populum ad libitum ſuadebant, faſcinabant, proindeque Iuuenem (qui Athenas pro adipiſcenda illa arte petierat) in exilium relegarunt, quia ipſum arte faſcinandi inſtructum rediiſſe putarant. ſed acceptio erat nominis, latiori metaphora deſumpta.

Ambroſius Calepinus ſic de nomine habet. *Faſcinum eſt, quoddam incantationis genus quo homines ita ligantur, vt liberi non ſint, nec mentis compotes.* Deſumpta ſunt ex his quæ nuperculè D. Hieronymus, D. Thomas & Perotus deſcripſerunt; & cum conſtet prædictos grauiſſimos Doctores, nomen *faſcinum incantamenti voce* ſignificaſſe, perſcrutatione dignum ſe offert, quonam iure id fuerit latum, ſuper quo Ioannes Ildephonſus Publicus Complutenſis Medicinæ Profeſſor lib. Priuileg. Prægnan. 10. *Faſcinum* incantamentum dici, proinde ſenſit quia *faſcinum* à *fando* deductum iudicarit, quam nominis acceptionẽ præſumpſit eruditiſſimus Pater Martinus Delrius lib. 3. diſquiſ. Magic. p. 1. ſect. 1. quæſt. 4. quibus aſſentit doctus Ciruelo tract. de ſuperſtit. p. 3. cap. 5. num. 1. vbi etiam eius ſcholiator. his conſonat Perotus vbi proximè colum. 515. lin. 52. ſic. *Quoniam autem mos veterum fuit conſtanterque in hanc vſque ætatem durat, vt verbis quibuſdam ad carminum ſimilitudinem compoſitis homines vtantur, quibus credunt ſe, & elicere Deos poſſe & cum eis colloqui, & tonitrua, & tempeſtates prouocare, & ſerpentes contrahere, & morbos curare, & oſtia ſine clauibus aperire, & ſecreta ſcrutari, & amorem ſibi conciliari; & alia huiuſmodi infinita etiam contra naturam, factum eſt, vt canto etiam aliquando pro incanto accipiatur.* Virgil. *Frigidus in prato cantando rumpitur anguis. Eſt autem propriè incantare verbis ſolis, vel etiam rebus quibuſdam adiunctis aliquid ſuprà naturam moliri, à quo incantatio dicitur, & incantamentum* Hæc ille, quæ conſonant his, quæ ea ipſo num. 2. tranſcripſi. 4.

Ex quibus conſtat faſcinum, & incantamentum idem prorſus habere, ſi quæ D. Hieronymus, & D. Thom. cum his quæ Perotus ſenſit comparentur. At verò faſcinum, ſeu incantamentum 5.

ex primæua eorum origine ad bona concupita solum consequenda habebantur. Cúmque illa acceptio (vt & plures) fallaci more, atque ignoranti malitia in posteritatem inducta, incrementum potius quàm abolitionem patiantur: factum inde est vt verba, carmina, incantamenta, fascina, vel quouis modo ea appellare velis ex fine illo (licet superstitioso) in quem primò fuerunt assumpta ad deteriorem fuerint extensa; ad mala intellige, diuersimodè quibusuis inferenda; atque hoc incantamentum etiam visu induci sentiebant complures, neque hoc solùm, sed etiam tactu, halituque immitti opinati sunt; tum plures alij; tum præcipuè prædictus Complutensis, quem insequitur Hieronymus Mercurialis lib. 1. de morb. puer. cap. 3. Fragosus, & Carthagena inferius referendi, qui ex Plin. lib. 7. natur. hist. cap. 2. & Plutarcho illud videntur desumpsisse.

6. Vlteriùs etiam vi imaginationis tale incantamentum induci plures fuerunt opinati cum Arabum Medicorum Principe Auicenna ab Angelico Præceptore relato 1. p. quæst. 117. art. 3. ad 2. non doles quòd tam largè pessimum hominum morem extensum videas? & quidem si rationem incantamenti expendamus. Fascinum à *fando*, seu quod idem est ab *incantando* deduci Perotus insinuare videtur, vbi proximè dicens apud veteres *fascininos versus* vsitatos extitisse à *fascino* sic nominatos, qui canebantur in nuptiis, quia fascinum putabantur arcere. Vt inde noueris fascinum largè extensum, propriaque cathachresi ad significandum visu, tactu, halitu, inuidave imaginatione malum inductum, quod si altius scire placeat facile tibi monstrare contendo, quo clarior nostra reddatur oratio.

7. Incantatores sic descripti habentur apud Malleum Maleficorum part. 2. quæst. 1. cap. 16. *Sunt qui suam artem peragunt verbis.* idem ex proximè dictis habebas, & Galenus noster, libello ipsi adscripto, de incantatione, admiratione, & suspensione ità habet. *Incantationes verba sunt decipientia rationales animas secundum spei inceptionem, aut secundum timoris incisionem.* Sumptum est nomen (vt præ aliis supponit Ioannes Brauus Camisius Conimbricensis Medicinæ Doctor lib. de medend. corpor. malis cap. 7.) à Psalmis quia scilicet frequentius ex Psalmorum verbis (en sacrilegam barbariem) seu ad illorum instar verba incantatoria

toria componuntur. Ex quo empſalmi, eorumque miniſter empſalmiſta, ſolent vulgò vocitari, cumque his verbis Pſalmorum, vel ſimilibus vtantur, quæque à Propheta Rege fuerint, non ſemel cantata, & nunc Deo Optimo in Eccleſia cantentur, ideò peſſima ignorantum ac impoſtorum conditio, eos qui prædictis verbis,ſeu Pſalmis vtuntur, (dicito melius abutuntur)cantatores, ſeu incantatores placet appellare.

Accedit quod prædictus ſacer Propheta Pſalmos acordi cythara cantando perfidum ac diabolicum Melācholici Saulis animum demulceret, vnde mos inualuit, vt cæcum vulgus opinaretur eos impoſtores (qui Pſalmorum verbis abutuntur)malas ac morboſas hominum diſpoſitiones fugare poſſe idque mediis ſuis enſalmis,ſeu incantationibus. Ex quo illos empſalmiſtas ore pleno cōpellat,quibus haud diſſentit Perotus vbi ſuprà. En nominis origo ex illo Luſitano,ſed neq; abuſus iſte hucuſque ſolū irrepſit, ſed etiam ad ſignificandum Pſeudopſalmiſtas,qui lues veneficas, dolores crudeles, membrorum mortifera impedimenta, ac præter alia potentiarum rectricum miſeros errores, in humanæ naturæ perniciem; pro ſui peſſimi, ac nefandi arbitrij imperio inducere poſſe præſumitur, miſerabile eſt quanti cœtus hominum, & mulierum iſtos habeat. Pluris,atque æquioris haberet, ſi eos (ſublato ſemel Dæmonis pacto) tanquam miſeros ignorantes, ac peſſimos impoſtores exſibilaret. 8.

Vnde (ad rem) vulgus hominum iam iam dudum fuit opinatus homines exiſtere, qui vbi alios inuido, vel potius attento animo inſpiciunt, (quibuſdam vt notatur, verbis muſatis) eos ad quam intendunt malam diſpoſitionem adducere; ex quo incantatores, faſcinatores, Hiſpanè *Aoxadores* nuncupantur; opus verò ab iſtis, in vulgari opinione patratum, incantamentum,faſcinum, noſtro idiomate *aoxo* dicitur. Ex quibus conſtat incantamentum preſsè ſumptum ſupponere pro quouis opere verbis ſolis naturaliter (vt credit vulgus) patrato. Sed quia prædictum incantamentum attento viſu, in alios quaſi eiaculato patrari credidit vulgaritas,ideò opus illud *aoxo* vocitauit non tam ad verba quàm ad oculos attendens,id quod notatum extat apud Malleum Maleficorum vbi ſupra c. 12. vbi ſic. *Ars Magica, quæ vtitur ſolo viſu dicitur faſcinatio.* 9.

10. Probabilis est coniectura subtilis nostri Doctoris Francisci Vallesij lib. illo aureo de sacra Philosophia cap. 68. extatque apud Plutarchum lib. 5. q. Conuiuial c. 7. Vulgus, puta proinde fascinatores existere putasse, quia scilicet, cum sæpè sæpius contingat pueros, homines, aut fœminas ad summum salutis statum peruenire, nitidioresque ac pulcherrimos proinde reddi; accidatque inopinata, ac improuisa morte tales corripi, quo tempore fortassis rugosa anicula, homunculusque senex optimam illorum salutem admirantur, vel si malis liuido animo illos nescio qua attenta mente inspicientes; inde cæcum vulgus talibus inspicientibus, vel forte laudantibus, atque eorum verbis aut aspectibus mortem subitam imputauit, aurei illius Diuini Hipocratis oraculi ignarus lib. 1. Aphoris. textu 3. quod sic habet, *Habitus Athletarum* (*vel vt alij summe boni*) *qui ad summum bonitatis attingunt periculosi si in extremo constiterint.* Sed audi grandem huius periculi rationem. *Neque enim possunt* (dixit prudentissimus Senex) *in eodem statu permanere* (quia ille summè bonus est) *neque quiescere, cum verò non quiescant, neque poßint proficere in melius, reliquum est vt decidant in deterius.*

11. Cuius status extremè boni necessariam decidentiam sic demonstrat Galenus. *Cum semper natura coctionem, distributionem, sanguinis generationem, adiectionem, agglutinationem, atque aßimilationem* (*alimenti*) *operetur; quando nihil adijci solidis corporis partibus potest, neque venæ amplius habent conceptaculum in quod alimentum distributum accipiatur; tunc necessario periculum imminet, nè vas aliquod disrumpatur, aut subita mors eueniat.* Sed & Vallesius ipse aliquantulum videtur expressius eius periculi rationem ostendisse, *nimirum* (dixit) *ob promptam tantorum humorum putrescentiam, quia præ multitudine inculcati obstructique humores in putredinem, & ipsam malignam peruenient, ad quam non leuiter iuuabit angustia viarum, & vasorum, & totius corporis densitas, atque pororum insensibilium coarctatio, ob insignem eorum pinguedinem, & craßitiem.* Ex quibus sic Galenus conclusit. *Vnde istorum nonnulli repente obmutescunt, alij sensum motumque amittunt, ac penitus attoniti fiunt, mole ista præter naturam, ac multitudine insitum calorem extinguente, liberumque spiritui transitum intercludente. Quicunque autem ex ipsis mitiora patiuntur effracto conceptaculo*

ceptaculo ſanguinem vomunt, aut ſpuunt. Hæc ille cap. 37. de Optim. ſect ad Thraſibul.

En naturalem ſæpeque miſera experientia comprobatam rationem, qua non diſſito, ac inefficaci anicularum aſpectui non laudatoriis, aut maledicis homunculorum verbis, mortes iſtorum attribuas, ſed nauſeatiuæ ſatietati, ebrietatíve non ridiculo, ac inexiſtenti faſcinationi, ſed voraci iſtorum ingluuiei, otioſo, ac inordinato viuendi modo, nimiæ crapulæ, ac deliciis dedito. quibus conſulens cordatè Cornelius Celſus lib. 2. dixit. *Quicunque coloratior, ac ſpecioſior, quam anteà factus eſt, ſuſpecta ſua bona habere debet.* Adeò eſt noſtra natura mutationi, ac viciſſitudini obnoxia, quod nullum poſſit extremum ſeruare, ac velut extremè deiecta facilè ſuccumbit, ſic extremè bona in deterius facilè, ac neceſſariò labitur, moderata durant, beatiuſque eſt in omnibus medio adhærere, quam extremo. Inde intonuit Lucanus in Bell. Ciuil. 12.

In ſe magna ruunt, lætis, hunc numina rebus
Creſcendi poſuere modum.

Sed in hoc illud eſt, quod cachinnum mouet, vulgarem ſcilicet illam Barbariem etiam bruta inuidia, aut laudatione effaſcinata mori ſæpè credidiſſe, quippe equos, canes, pullos gallinaceos, imo (ſi placet) aſinos impia effaſcinatione de medio tolli conſtanti opinione (ſed aſinina) condoluit. Plorabunt poſtmodum vt infra videbis marmorea etiam ſaxa crudeli faſcino Herculeoque diſrupta. Vt conſtet demum, quam impropriè faſcinum, ad venenum oculis illatum ſignificandum tranſlatum fuerit. Cum ex primæua ſui acceptione, ad infectionem verbis illatam, ſeu ad quoddam incantationis genus ſignificandum fuerit impoſitum. Nec miror erret vulgus in nominis notione, quando in re ipſa illud non ſolum erratum, ſed dilapſum video, vt poſtmodum monſtrandum ſpero. 13.

Et quamuis prædicta nominis acceptio communior apud vulgares exiſtat, plauſibiliorque appareat, ipſam nihilominus non approbat Delrius 3. diſquiſ. Magi. p. 1. q. 3. vbi faſcinum, à quodam verbo Græco id ſignificante quod *inuidere* originem ducere ſuadet. At verò *inuidere* ſi Ciceroni 4. Tuſcul. credimus, eſt, nimis alterius bona intueri, quaſi animum oculóſque in eos quibus

inuidemus

inuidemus intentos liuidè habeamus; intendit Eruditus Iesuita illud probare ex Deuteron. cap. 28. vbi super illo, *inuidebit fratri suo*, D. Augustinus transfert *fascinabit*. Sed contraïre videtur Perotus vbi suprà, qui contendit *fascinum* à *facio* deduci; eius ratio est, quia fascinum, non propter inuidiam solum inducitur, sed etiam propter odium, aut inimicitias: negat vlterius *fascinum* videre importare, sed potiùs maleficè alicui perniciem moliri.

15. Sed Grammaticus iste concordantias confundere videtur, cum ipse col. 99. lin. 22. dum verbi *inuidere* significatus, ac phrases accuratè expenderet, sic scripsit. *Ab hoc fit passiuum inuideor, à quo inuisus, id est odio habitus*, Ergò inuidere alicui, & illum odio habere, idem sonant. Ergò nullo discrimine *fascino* ab *inuideo* deuiabit, vnde extat illud Poëtæ 1. Æneid.

Manet alta mente repostum iudicium Paridis.
Spretæque iniuria formæ.
Et genus inuisum, & rapti Ganymedis honores.

Id est genus odio prosecutum, vel vt Perotus ipse odio habitum, quamuis itaque fascinum odio inducatur ab *inuideo* deduci non obstàbit, vt eruditione optima Delrius supponit. Consulito Aulum Gellium lib. 16. noct. Atticar. c. 12.

16. Qua nominis notione semel retenta cum communi eadem existit, si attentè expendatur. Fascinare quippe apud Iesuitam est inuidere, sed hoc est animum oculosque in malam partem intentos habere; at cum oculus intenti animi, atque intimæ intentionis fenestra esse soleat; vbi aliquos tali animo affectos aliisque inuidentes, animaduertit vulgus, effascinare illos, leuiter credit, vt constat apud Delrium *fascinare* dici, *inuidere*, apud vulgus cum malo animo videre, & quia animus animo non exprimitur; nisi per oculos qui peccati intenti indices, sæpè sunt, inde vulgares, malo animo videre, fascinare, compellarunt, Delrius inuidere quod idem, ni fallor prorsus sonat.

17. Moura vbi suprà sect. 2. cap. 2. num. 42. aliam fascini adinuenit originem, quæ nec Delrio displicet, nisi ab eo Lusitanus eam desumpserit, quod scilicet *fascinum* à quodam verbo Hebræo ducatur: idem sonans, ac *leue*, *vile*, *nihili* contendit tamen Delrius ex Græco etiam fonte illud deduci. Quidquid tamen

possibili

ſit de verbo ſiue Hebræo, ſiue Græco ea notio potius vt credo poſſibilitatem huius ſuperſtitioſæ vanitatis quam nominis originem videtur ſignificare,id quod vterque videtur expreſſiſſe Delrius habet. *Sic enim ſignificat à viliſſimis, & minimi pretij quiſquilijs terrenis, maximè à nugatoria, & adulatoria laudatione*, Moura ſic. *In Hebræo eſt verbum ſignificans faſcinum leue, vile, nihili, vanas quaſcumque res leueſque quiſquilias.* En faſcinum (vt dicta recolligam) verbis aliquem incantare primæua ſui origine ſignificabat. Et quia incantatores verba quæ proferunt, ſæpè non explicant, ſed labiis implicant, proinde ignarum vulgus ipſos malè videntes, inuidentes, aut faſcinantes Hiſpanè *aoxadores* compellat. Non tam ad eorum animos, aut verba, quam ad viſum attendens; ni malis penuria vocum id factum, id eſt tranſlatitiè. Sunt quippe res plures quàm nomina, vt & notauit Ariſt. lib. 1. Elenchorum cap. 1.

DVBIVM II.

Quid de faſcino ſenſerit antiquitas?

CIrca ſecundum annotato; multùm veteres circa faſcinum deliraſſe, ipſi namque, cum ipſum vt peſſimam luem Reipublicæ timerent, Priapum habebant, pudendi maſculi forma (id quod referre pudet) repræſentatum tanquam in faſcinum Alexiterium. Sic Victoria tom. 1. Theatr. Deor. Gentil. lib. 1. c. 29. Hieronymus de Huerta in Problemat. Philoſop. 1. affirmat Latinos Priapum faſcinum vocaſſe quaſi faſcini fugatorem, & auxiliatorem: ſed & Priapi imago in Romanorum Triumphantium curribus pendebat, idque in faſcini tutamen, & id memoriæ prodidit Plin. lib. 28. cap. 4. *Faſcinum* (inquit) *currus triumphantium defendit Medicus inuidiæ*. Idem Del-Rius 1. diſquiſ. Magic. quæſt. 4. & doctiſſimus Mendoza in viridar. lib. 5. Problem. 26. Sic denique infantium thoraci etiam nunc (indecenter opinor) in forma manus, pollice ſub indice miſſo (*higa* Hiſpanè) in eundem finem adducitur id quod retulit D. Laurent. Ramir. ſuper 1.

Epigramm. Martial. lib. 1. Epigr. 92. imò per Campos, segetes, amœnaque vireta Priapi effigies stabat, quo sic fascinantibus obuiam faceret. Fictitius quippe ille Deus, hortorum seruator illi erat barbariei.

2. Sed vnde obsecro barbara illa Religio? Dum alias consulis rationem meam expende ex fabella illa deductam de natal. Priapi à Suida, & Vincentio Carthar. relata; (referente Victoria, vbi supra) cum Venus vtero gerens Priapum existeret ex accessu ad Bacchum (boni dij qui & luxuriam permittebant, & ei inhonestè vacabant) liuore Iuno absumpta est, quia ipsa sterilis. Venus autem fœcunda multum visa est, ac proinde inuido animo simulatáque malitia Veneri se ipsamet obiicitur, & sub apparenti anilis *obstetricis* forma, quo Priapi, vt simulabat non solum fouere, sed & fauere partum intenderet, at vti hora accessit. Zelotypia mota Iuno manus veneficis vt aiunt Philtris inunctionibus & incantationibus præparauit, vt his fascinationibus fœtum de medio tolleret. At Priapus virtute Bacchi Patris à Iunonis fascino liber euasit, sed non quin magna pudendi fœditate, ac feritate conspurcatus nasceretur, Quo antiquorum Gentilium deliramento præsumpto, facile est inuenire rationem ob quam Priapus fascini fugator à cæca illa antiquitate coleretur, quia scilicet qui se à Iunonis fascino infans adhuc potuit liberare, cæteros etiam posse putabat ille Barbarymus, & sub virilis pudendi forma: hæc quippe illius erat similior repræsentatio. Sed deliria hæc missa facio: qui morem apponendi apud nos illam manus effigiem, quam *higa* vocamus scire curat; Dubium septimum adeat, vbi illum expendere commodior erit locus.

3. Aristotel. sect. 20. Problem. 34. videtur fascini meminisse, ibi quippe & remedium, & huius causam dat Elianus 1. de Historia animalium cap. 36. in fidem fascini, illud de aliquibus volatilibus memoriæ commendat, quod scilicet nescio quo lumine ducta, fascinum filiolis præcauent, nidis eorum quibusdam herbis præmunitis, atque lapidibus corroboratis. Id quod de Aquila communiter recipitur lapide Ætites fascino genitorum obuiam eunte, his consonat antiqua & præsens consuetudo, manus mellis (Hispanè *Texon*) infantium humeris appendendi, quibus mediis nutrices fascinum puerorum præcaueri religiosè opinantur,

nantur, sacrilegumque habent illo vel simili amuleto, tam grandi malo, quale fascinum ipsis est, non subuenire, id quod etiam hucusque in brutis obseruatur, quibus Rustici pellem mellis appendent, nè vt suspicantur, veneficus illis oculus nocumento sit, quod animaduertere licet in equo, mulo, asinoque, quorum collis bonam pellis eius animalis partem, rustici apponunt in visus fascinatorij tutelam.

Plinius communiter ab authoribus hic relatus lib. 7. cap. 2. affirmat, esse in Africa familias quasdam quarum laudatione vt Isogonus, & Nimphodorus tradiderunt, intereunt prognata, arescunt arbores, emoriuntur infantes. Esse eiusdem generis apud Tribalios, & Illyrios gentes quasdam adiicit Isogonus, qui visu quoque fascinent interimantque quos diutius intuentur, iratis præcipuè oculis. Ex qua Plinij historia constat fascinum extare, laudatione inductum, cui allusit Arcas ille apud Maronem Ecloga 7. ibi. 4.

Aut si vltrà placitum laudarit bacchare frontem.
Cingite ne vati noceat mala lingua futuro.

Vbi & Baccharim herbam Dioscoridi inuentam præcautoriam existere fascino laudatione inducto ipse opinabatur. Sed & fascinum visu eiaculatum Maro etiam supposuit illo toties repetito carmine.

Nescio, quis teneros oculus mihi fascinat agnos.

Ex eisdem authoribus quos Plinius retulit idem notarunt Ioannes Ruelius lib. 3. de natura stirp. cap. 38. & Ioannes Vvecherus lib. 4. de Secret. fol. mihi 81. de quibusdam scilicet Africanis, quorum virulenta adeò vis ex oculis, & verbis expirabat, quæ siue animalia, siue plantas leuiter contingeret, illicò de medio tollerentur, venenum quod etiam aliis ex Solino, Philarco & Plutarcho, Ruelius & Vvecherus citati, quasi fide indubitata, tribuerunt. 5.

6. *Aliorum apud Plutarchum sententia de fascino refertur.*

Sed quo certiorem de fascino apud veteres opinionem habeas, expende quæ apud Plutarchum lib. 5. quæst. Conuiuial. extant, putauit Thetrius Florus, contēdebātque fascinum, si quod aliud in natura veram existentiam haberet, erant & tunc cordati, qui illud tanquam commentum exsibilarent, vt & Plutarchus notarat Sed Florus experimento rem firmabat: homines scilicet

ſemetipſum vidiſſe, qui aſpectu maximum infantibus momentum inferrent, quod ſolidis, & duratis iam corporibus, non accidebat. Tyrios etiam extitiſſe aſſeuerabat ex Plutarchi hiſtoria, qui ſolida etiam ac prouecta corpora, nedum tenera aſpectu ſolo, nocumento peſtifero inficiebant, idque maximè medio quodam lumine igneo è viſu medio ſpiritu eiaculato; namque ſi medi s vaporibus per vniuerſum cutis effluuium ſæpè ſæpiùs corpora quædam aliis mala & ipſa grandia committunt facilius ille dixit efficaciuſque per viſum alioqui inquietum, & ad quem ſpiritus actiuiores, animíque dilectiores deferuntur in res quæ ſub aſpectu cadunt operabuntur: ad quam ſpiritus luminoſi eiaculationem tanquam ſecum deferentis animi, voluntatiſque conceptum, amorum cauſam reduxit. Concluſit itaque Platonicus iſte, faſcinum viſu operatum, tanquam euidens, recipiendum quamuis per illum cauſam exquirere liceat adæquatam, effectricemque faſcini per viſum, quam ipſe Metrius ad igneum lumen, medio ſpiritu viſiuo delatum, vſque ad viſibilia corpora, tanquam animi Miniſtrum illam reduxit.

7\. Nec iſthæc ſolum, ſed contendebat, etiam vnus ex conuiuio (Patrocleas nomine) faſcinandi ius, potiori ratione ad dirum animi affectum ſcilicet ad inuidiam reducendum fore. Et poſteà quàm grandi experimentorum ſumptu probauit; quanta in nobis animus operetur; induxit inde facilius illi eſſe etiam extima obiecta pro ſuæ aſſertionis ratione, mediis oculis afficere. Cumqnè inuidia defœdatum impurumque animum ſpirituſque eius veriſſima, ac fidelia inſtrumenta etiam inficiat, maleuolaque conditione *ſigillet* vbi ipſi ſpiritus per viſum, foras in obiecta mittuntur, aliundéve reflectantur, neceſſe erit ipſa obiecta conſpurcent, faſcinantque.

8\. Adeò id aſſumptum, omni fidei, ipſe Patrocleas commendat, quod affirmet hominem extitiſſe, (nomine Eutelidas) eo veneficum, quod ſibimet, ex propriis inuidis oculis (Proh dolor!) mortiferam faſcinationem intulerit, atque nitidiorem habitum vna cum forma perdiderit: auſculta verba. *Quid porrò per Deos immortales de his dices qui ſe ipſi faſcinare perhibentur; etenim audiſti hoc; ſin minus legiſti, certè hæc.*

Nam fuit Eutelidas forma quondam ſpecioſa.

At

At miser in rapido dum spectat flumine vultum
Se se fascinat ipse, lues illum occupat atrox.

En alterum Narcissum de quo eadem posset esse commentatio: sic notior historia, quàm verior adduci potest de Basilisco, de quo fertur, quod si se speculo puro, densóque aspiciat, ipsum scilicet emori; vt ex Ioanne Baptista Porta notarat Vvecherus, vbi suprà, verba sunt. *Sic adimit lupus vocem, sic Regulus vitam, qui aspectu venenum excitat, & radijs virulentos infigit ictus. Cum speculo autem reciproco iaculato in sui authorem retorquentur.*

Sed & hanc vim oculis, veneficam illis præcipuè Antiquitas 9.
tribuebat; qui duplici erant constructi pupilla iuxtà illud Nasonis 1. de arte amandi.

Oculis quoque pupilla duplex fulminat,
Et geminum lumen in orbe manet.

Sed & talibus veneficis oculis, aliquando canẽ, aliquando equum, aliáve alterius speciei animalia sculpta existere experta est illa, imò & nostra ætas, id quod notauit subtilis Vallesius lib. de sacra Philosoph. c. 68. & Ruelius vbi proximè. Demum pro vi potentiæ visiuæ extat experimentum, vulgo satis receptum, de his scilicet hominibus, quos nos *Cahories* vocamus, quem vnum Matriti vagasse anno Domini 1575. refert eruditissimus Delrius vbi suprà lib. 1. cap. 3. quæst. 4. quod hominum genus, abditissima in subterraneis penetrare ad septem vsque stadia, eosque lynceos homines cùm aquarum mineras, venasque metallorum, tum thesauros profunde latentes, absque ænigmate prospicere, statuta est vulgo sententia.

Nec quæ de Charadrio dicuntur, vana prorsus censeri debent. 10.
Cum ea Auis, vt plures Medicorum fatentur, quos aspectu attingit pallido colore tinctos icterósque reddi supponant, non ergò implicauit in natura ocularis vis, quæ ad hunc modum fascinatoriam luem in obiecta corpora mittat, hæc, & alia ab antiquitate, ad nostram vsque ætatem quasi manu duce peruenerunt, suntque hodìe non pauci, pertinaci credulitate dictorum obseruatores. Ex quibus per eos licet deducere oculos ad extrà non parum iuris habere, ac proinde mirum non erit, ex oculis in proxima obiecta miras virtutes, ne dum fascinatorias immitti posse.

Dubium III.

Diuiditur fascinum; quidque de illo senserint iuniores exponitur?

1. CIrca tertium annotato, duplicem fascini sortem deduci ex D. Hieronymo & Angelico Præceptore, vbi suprà dub. 1. num. 2. naturalem vnam; Diabolicam alteram, de hac discutiendum inferius dub. 5. de naturali verò grandem video inter Authores litem, quam vt faciliùs exprimam, præmittere oportet (quod latius dub. 1. discussi) fascinum apud omnes venenum significare. *Iam inuido animo illatum, iam visu immissum, iam verbis eiaculatum*, ex duorum priorum choro Veteres supra relati extant, ex vltimis duplicem classem inuenio, Ioannes Ildephonsus Complutensis cum asseclis affirmat, verba efficaciam realem non habere in fascinante, neque in fascinatum, sed quod supposita venefica vi, naturali, in homine, quæ causa præcipua fascinatrix est, verba se habeant tanquam forma extrinseca, prædictam labem *fascinum* denominantia, de qua sententia posteà.

2. *Fascinandi vis naturalis verbis denegatur, exsibilatur, exemplis eneruatur*

Alij (sed irreligiosè) asseuerarunt verba naturali pollere efficacitate, ad fascinum inducendum; cum ipsa ad plures etiam Physicos præstandos effectus virtute natiua polleant. Horum meminisse videtur Ioannes Ludouicus de la Cerda super Ecloga 7. Poëtæ, versu 28. vbi mediis verbis laudatoriis hoc malum induci, ex aliis videatur adduxisse. Cuius superstitiosæ sententiæ Authores præcipuè inuenio Ioannem Brauum Camisium Lusitanum, & quendam Felicem malleolum Canonicum Tygurensem apud malleum Maleficorum tom. 6. lib. 6. qui Philosophantes cum à Sacro Tribunali, tanquam Hæretici primæ classis iamiam fuerint damnati potius irridendi, (vel prius comburẽdi) quam refellendi veniunt. Contrarium quippe sentit, & docet Angelicus Præceptor 2. 2. quæst. 96. artic. 2. ad 2. & 3. contrà gentes cap. 105. & cum eo communiter sacræ Theologiæ, & Medicinæ Doctores.

Sed

Sed ex nostratibus contrà prædictos Garrulos primus est Hippocrates lib. de morbo sacro, & Galenus præcipuè lib. 6. simplic. cap. 1. vbi postea quàm Pamphili Medici meminit, quod recto ordine tractatum de simplicibus Medicinis composuisset; illius tamen opinionem contemnit, quatenus herbas colligi, certis verbis, ac incantationibus voluerit sic scribens. *Sat nos neque horum quippiam, neque nugaces istorum narrabimus transformationes.* Idem sentit lib. 10. eiusdem operis, cum de saliuæ humanæ virtute mirifica ageret. Idem lib. 9. anteriori, vbi de Iaspide viridi, & de lupino excremento, & sæpè alibi, vt mirum sit, quanto iure Trallianus contrariam sententiam Galeno imponere audeat Philosopho eximio, atque Aristotelicis sententiis optimè addicto Doctorem sanctum, nostrum Coum, atque etiam Pergamenum insequuntur, (vt communem Theologorum & Consultorum iuris plausum supponam) Fernelius II. de abditis rerum causis cap. 16. Iulius Scaligerus contrà Cardanum exercit. 349. Andreas Laurentius de mirabili vi strumas sanandi, Gentilis quæst. 55. Extrauag. cap. 6. Subtilis Vallesius aureo lib. de sacra Philosophia cap. 3. Brauus Petrafit. lib. de Marś. & Psyliis. Daniel Sennertus tom. 3. lib. 6. part. 9. cap. 1. noster Maroxa 1. de intern. morb. Zacutus lib. 1. de Medic. Princip. histor. 84. quæst. 53. Guido cap. Procemi. ad Chirurg. & plures alij. 3.

Sed vt, omittam, varia ac plurima exempla, hanc veritatem confirmantia, notabilis extat (vt vnam, vel alteram in medium proferam) illius mulierculæ historia, quam Antistes Gueuara retulit p. 1. Suar. Epist. ad Doctorem Melgar. fol. mihi 99. cum (inquit) Artaxerxis secundi ætate (deperdita antea Medicina per quadringentos quadragintaque annos, ab Esculapij obitu, Authoribus Strabone, Diodoro, & Plinio) muliercula quædam in Prouincia Achayæ; verbis solis varias morborum sortes leuaret; propterea ab eius Prouinciæ incolis ad Athenienses relegata fuit, hi verò ad lapides eam damnarunt. Cuius sententiæ ratio illis erat, quia natura Deusque in lapidibus & herbis, (& animalium partibus) non verò in *verbis* morborum remedia reposuere. O fœlix ætas illa, ô misera, hæc nostra quæ tot mulierculàrum verba audit, tot perditorum hominum futilia, & sacra Medicina spreta ad illorum potius incantamenta, quàm ad docti ac prudentis 4.

dentis Medici manus accedere placet. Sed est stultorum infinitus numerus, quibus ignorantia propria non dolorem, sed errorem leuat; vtinam cordati (quod condolendum magis) has aniles fabellas non procurarent.

5. Sit & posteritati exemplum alterum quod Amatus Lusitanus retulit cent. 3. curat. 14. *Veris fine* (scribit) *properante iam æstate duo Iuuenes Anconam Ciuitatem proficiscebantur; quorum alter cum ab itinere mejendi gratia diuertisset, viperam prope arboris cauernam offendit, magno tamen applausu sed infelici successu. Contendebat autem is altero cum socio se viperam manu absque offensa aliqua capturum, gloriabatúrque nonnullis verbis murmuratis, serpentes omnes tanquam stupore affectas sibi obedire. Alter verò hunc deridebat. Demum ad sponsiones res deuenit. Sed vipera plus iusto audax, truculenta immota semper mansit. Demum cum is manum porrexisset vt illam caperet, illa rabido & venenoso furore percita, eleuato collo, ipsum in manus digito momordit, qui cum sic morsus doleret, citissimè ori digitum admouit, fortè vt sanguinem dentibus compresso digito sugeret, non verò, vt mortem sibi asciscerent, breui autem infelix hic sua culpa mortuus fuit, neque medica auxilia quidquam iuuerunt, euasisset tamen nisi serpentis venenum ori admouisset.* Hæc ille, vt inde habeas iuuenem fallaci verborum naturali virtuti innitentem, per os mortem bibisse per quod fucatam verborum virtutem insipiens & indoctus quærebat.

6. Habes hinc quid dicendum ad illa quæ alter Lusitanus Moura opusculo citato sect. 1. à num. 12. ex aliis adducit qui verbis naturalem vim in frænandis ac compescendis serpentibus supponunt. Sentiendum quippe orthodoxis est, effectus ibi relatos, non verbis tanquam agenti Physico tribuendos, sed occultiori, aut superiori causæ, ni mauis effectus miros illic ex sacra Historia, exque Patribus relatos de pacto Dæmonis arguere, vt ipse Moura vniuersaliter supponit sect. 2. cap. 2. num. 12. aut parabolicè seu metaphoricè, vt probabiliter satis docet noster subtilis Vallesius cap. 3 lib. de sacra Philosoph. audi quæ Iulius Scaliger de tali incantatione inter homines dubitat. *Neque verum est hominem ab homine noceri posse verbis, nam quis illa eum verba docuit: non alius? Nam quis illum? Non cælestis intelligentia, nam quis eam facere audeat Authorem fascini.*

De

De Naturali verborum efficacia altera ſententia adducitur, refellitur, imaginationiſque ius limitatur.

SEd expectemus quæ alij de verborum naturali vi ſenſerunt, fuerunt qui illis naturalem virtutem, ac faſcinandi propriam denegarunt, faſſi tamen ſunt ipſam à faſcinantis virtute ex imaginatione recipere. Sed decipiuntur manifeſtè, ratio potiſſima eſt, quia ſequeretur inde illum qui faſcinat diuerſam ſpecie imaginationem habere à faſcinato, quia haberet faſcinantis imaginatiua prædicatum naturale & intrinſecum, quod faſcino infecto, & plurimis hominibus deficeret (pauci quippè per iſtos ſunt faſcinatores,) differunt ergò à cæteris illo peculiari ac intrinſeco imaginatiuæ eorum prædicato, differunt ergò ſpecie ſingulorum imaginatiuæ: quippè ſpecie differunt, quæ prædicato eſſentiali differunt, cum virtus cuiuſuis rei, & eius eſſentia vnum ſint realiter, virtutiſque diuerſitas diuerſitatem eſſentiarum arguat. Ergò qui virtute pollet, verba inficiendi, ſua imaginatiua; alterius ſpeciei erit, ab illis qui tali virtute carent: vel æquiuocè tantum ille dicetur homo. grande argumentum eſt Angelici Præceptoris 3. contrà gentes cap. 105. quo vtitur in Magos contendentes, vi ſui intellectus, verba efficaciam ad ficta ſua opera habere. *In ſuis enim operationibus* (inquit) *vtuntur vocibus* (magi ſubaudi) *quibuſdam ſignificatiuis ad determinatos effectus producendos.* & ſubſcripſit proximè, *non autem poteſt dici quod voces illæ ſignificatiuæ à Magis prolatæ efficaciam habeant ex intellectu proferentis, cum enim virtus eſſentiam conſequatur, virtutis diuerſitas eſſentialium principiorum virtutem oſtendit; intellectus autem communiter hominum huius diſpoſitionis inuenitur, quod eius cognitio ex rebus cauſatur magis, quam ſua conceptione res cauſare poſſit; ſi igitur ſint aliqui homines, qui verbis conceptionem ſui intellectus exprimentibus res poſſint tranſmutare propria virtute, erunt alterius ſpeciei, & dicentur æquiuocè homines.* Ergò ex ſententia Diui Thomæ, & vera Philoſophia, qui homines credunt verbis ex vi ſuæ imaginationis effaſcinantes; homines ſupponunt ſpecie à cæteris diuerſos, ſaltem quoad potentias imaginatiuas quod quantum à probata ra- 7.

tione deuiet, ipsi viderint, repugnat ergò imaginatiua, verba, fascinatrice labe, inficiendi virtute prædita.

8. Hinc habes (cur id prætermittam) quam efficaciter (vt assolet) Doctor Ioannes Gonosalius, Primarius Compluti sacræ Theologiæ Professor, meusque amantissimus Magister lib. 2. Physic. quæst. 5. circa quintum conclusit, nullatenus cuicunque rerum inesse posse virtutem, quamcunque aliam producendi: supponit quippè ibi, ad ipsissimam Angelici Doctoris doctrinam ingenitas virtutes, diuersos effectus producendi. Maximo argumento Philosophis fuisse ad statuendum diuersas, atque specificas rerum naturas, & essentias; quod vsque adeò verum est, vt qui huic supposito diffidat vniuersam confundat rerum naturam omnémque destruat expertissimam Philosophiam, quæ vbi expendit ignem calefacere, aquam verò nunquam, hæc elementa specificè diuersificari euidenter conclusit. Vndè ille Doctor sic eximiè philosophatur. *Diuersæ sunt naturæ, quarum virtutes sunt diuersæ, ergò quæ eiusdem sunt virtutis eiusdem erunt quidditatis.* Argumentum sanè quod omni consonat rationi. Sed iterum obsecro assumamus antecedens. Diuersæ sunt naturæ, quarum virtutes sunt diuersæ, sed virtus imaginatiua huius fascinantis diuersa est à virtute imaginatiuæ eius qui fascinare nequit. Ergò illæ imaginatiuæ diuersæ sunt specie inter se, quod quantum absurdi contineat nullus Philosophantium est, qui lippientibus adhuc oculis non videat.

9. Præter hæc. Si imaginatiua verba inficit fascinatrice labe, cur tunc semet non inficit, vel cur prius ille homo, semetipsum non interimit illorum more quos anteà audisti dubio anteriori num. 8. deinde imaginatiuæ nullus actus, præter illum, quo redditur in esse cognoscentis seu imaginantis, tribuitur, at ille vel speciei expressæ productio, vel speciei vnio ad potentiam erit (in altero quippè istorum cognitionem consistere probabilius puto) sed speciei productio est immanens actio, ad verba, ergò non transibit, neque huius actionis terminus ipsa inficere poterit. Cum iste, ipsa sit species ipsimet inhærens potentiæ; vtpote actione immanenti producta. Sed neque ipsissima speciei vnio ad potentiam verba attingere potest, quo ergò actu verba ab imaginatione inficiuntur? Vlteriùs, quia & ipsa anima huius mali

causa

causa existeret, quod sonat absurdè, cum enim actio imaginatiuæ, (quæuis illa sit) in probabili Philosophorum sensu, ab anima etiam eliciatur, vbi hæc fascinatoria actio tribuitur huic potentiæ, etiam & animæ debet tribui, effascinaret ergò prius corpus, cui insidet, & pro sui arbitrio. Est quippe imaginatio in suo opere, voluntatis imperio subdita. Essent præter hæc fascinantis & fascinati animæ humanæ diuersæ speciei, propter eam, quam ex Doctore Sancto rationem num. 8. expendebam.

Adde inde sequi eandem imaginatiuam veneficam esse posse, & beneficam, eidem subiecto, & eisdem verbis. Cum hæc imaginatiua eò sit venefica huic subiecto, & his verbis, quia inuidè ipsum imaginatur, constat autem ipsum subiectum iisdem verbis ipsam posse imaginari amicè beneuoléque: cessaret ergò tunc infectio, essétque imaginatio benefica, & venefica eidem subiecto, iisdémque verbis. At idem nequit eidem esse causa per se contrariorum, vt & Diuus Thomas notauit super 4. Metheor. 10.

Sed & ipsa verborum natura id videtur persuadere, quæ *sonus factus est in animali ex percussione aëris proiecti à pulmonibus in gurgulione detenti*. Sic sentiunt Doctores cum Arist. lib. 2. de anima. Tunc sic. Vel imaginatiua imprimit vim fascinatoriam in ipso sono, vel in ipso aëre è pulmonibus proiecto. Non primum. Quia sonus qualitas vna ex primis, est altioris conditionis, quàm calor & frigus vt Philosophi loquuntur. At verò qualitates primæ haud sunt susceptiuæ impressionum, non enim prima aliqua qualitas, qualitatem aliam recipit, sed materia prima totúmve substantiale, ex cuius potentia vniuersæ qualitates materiales naturalium agentium virtute educuntur. Non secundum, quippè asseuerare aërem ab imaginatiua potentia immutari, perinde est, ac si affirmaretur imaginationem in externo subiecto casum operari: quo nihil inexpertum magis, contráque omnium Philosophantium plausum, & contrà D. Thomam part. 1. quæst. 117. artic. 3. & 1. 2. quæst. 17. artic. vltim. ad 3. & 3. contrà gentes cap. 103. 11.

Reprehenditur Conciliatoris Prouerbium, & ipse à calumnia vindicatur.

12. EX his irridere poteris Prouerbia illa quæ Petrus Aponensis ex Auicenna Algacelóque retulit in calce Problem 2. lib. 7. *Oculus* (inquit) *mittit hominem in foueam, & Camelum in Calderium.* Cuius barbari afferti rationem reddens sic ille ex eorum barbarorum sententia scribit. *Dicunt enim hi viri quod quando anima fuerit constans, immobilis, similis principijs multoties operatur in corpore alieno, sicut in proprio, eò quod materia mundi sibi obediat taliter, vt destruat ipsum extimatione, & hominem interficiat, sicut est oculus fascinantis, & extimationem operantis & hoc dicitur fascinatio.* Intendit deinde ille tradere rationem infelicis necis Camelorum, ostendens illam ex inuidia hominis imaginatione oriri. audi. *Cuius quidem causa est, quia Camelus multum placet ei (id est homini) & miratur de eo. Quare & eius anima maligna, & inuidiosa extimat Camelum cadere, & inficit corpus Cameli, ab eius extimatione, & statim cadit.* Non miraris quam insolenter isti de imaginationis efficacia sentiant? Expende quæ in istos dubio sequenti ex Angelici Doctoris doctrina oppono.

13. Sed quod hic (proh Deum maximum) interius condolendum venit; illud putauimus; quod scilicet his næniis, aut dementiis confisi, cordatorum non pauci in Republica Catholica fascinum probarunt, crediderunt, timuerunt. Vtinam verum dicerent; sic etiam eorum falsam extimationem de fascino, nostra extimatione efficaci possemus destruere: quid potuit ridiculosius affirmari quam camelum animal si quod aliud prægrande, mole ingens imaginationis nostræ vi ruere posse? Cachinnum mouet hoc, cur id non risum. Sed non videtur Aponensis hæc delitia probare, cum ibi ex illorum Barbarorum sententia loquutus videatur. Non enim quæ referuntur proinde approbari reputantur, vt expendenti quæ Aponensis scripsit constabit. Nec imaginatio alicuius rei, (vt etiam aliorum figmentum obiter explosum habeas) potest in imaginante eosdem effectus causare quos res ipsa causandi virtute sit prædita; quidquid sentiat Moura ex Mathiolo Senensi opusculo sæpè citato sect. 2. c. 4. n. 7. de quodam

dam ſcilicet homine qui per ſolam imaginationem præuiſi medicamenti purgantis eodem modo deiecit ac ſi catharthicum hauſiſſet. Dicant obſecro huius ſententiæ alumni: imaginatiua illius hominis ſpecie impreſſa caloris Medicamenti fœcundata (vel ſi mauis expreſſa) ad actum reducta potuit nonne per hoc ſolum determinare facultatem partium, excrementorum expultricem, quo determinatum humorem à cæteris ſeparatum ad vias purgationi deſtinatas conductum euacuaret? Poſſet ergò cauſone febre correptus aquæ frigidæ imaginatione temperari, aut præuiſo, ac imaginato Rhabarbaro bilem à corpore repellere, at hæc imaginari facilia ſunt, eſſe vero impoſſibilia,

Contendet Platonicus ex vi potentiæ viſiuæ, ad vſque obiectum operantis viſiui ſpiritus extramiſſione illud accidere, ſed infra conſtabunt quæ contrà hanc ſententiam Antiſtes Abulenſis notauit. Ad caſum itaque probabiliter dicendum puto (alij aliter benè reſpondeant) ex medicamento purgante particulas quaſdam, vapores inquam quoſdam exhalare, qui illum hominem debita diſtantia proximum ingredientes per inſpirationem, actuationem comparati, humore obediente, & auxiliatrice natura euacuationem fuerunt operati per aluum, tanquam per communem ductum, vt quippè medicè ſatis Abulenſis Antiſtes expendit, in naturalibus actionibus neceſſarius eſt agentium medicamentorum cum patienti contactus. Nullum quippè vnquam per ſolam Medicinæ viſionem ſanatum vidimus nedum per imaginationem, quæ medicamentum apud Indos exiſtens, poteſt Hiſpaniæ imaginari, quod liberè ſatis affirmatur. 14.

Vel vt ſatis probabiliter Complutenſis Carrerus notauit, ad aduertentiam euentus ille reduci poteſt, ſæpè quippè diſtracti, paſſiones non aduertimus, quas experimur attenti, nam niſi alter, lotium mittat eiuſdem neceſſitatis, ſæpè obliuiſcimur, aliis curis impediti. Ariſtoteles id putauit, quibus Conciliator aſſentit ſuper Problemate ſuperius citato. Valeat ergò Gentilis de Fulgineo ſuper Auicennam fen. 2. can. 1. cap. 8. dub. 2. vbi nos calefieri ignis imaginatione, frigeſceréque imaginata niue cum ipſo Principe fatetur, imò nos ita affectos alios afficere poſſe ſuadet, vtinam aliquo id conſtaret experimento, vt affluenter & pro arbitrio, dum ægrotamus, aut egemus, imaginatio tum nos 15.

 ſanaret,

ſanaret, tum ditaret. Conſulito,ſi placet,iſthæc ad vnguem perſcrutari doctiſſimos Valleſium & Carrerum, illum 5. controu. cap. 13. iſtum diſput. 7. de loc. c. 8.

16. Sed ad id vnde neceſſaria digreſſio incepit, cõuertamur: quippe ſi faſcinandi vis, verbis, ab imaginatua ineſt, ergò iam per aures, faſcinum tantummodo inducetur, quod huius ſententiæ Auctores ſemper negarunt; cum verba auditum ſolum immutantia nullam vſquam vel partem noſtram, vel potentiam aliam alterare valeant. Deinde impoſſibile videtur actionem aliquam naturalem, ab agenti aliquo naturali elici. (Omitto obedientiales potentias) in quo non ſupponatur innata, & intrinſeca virtus talis actionis eliciendæ. Aſſumptum quod Philoſophantium aliqui negarunt, non tamen ſine naturalis rationis iniuria; eſt quippè adeò veriſſimum ſumendum; vt qui neget illud, vniuerſalem deſtruat Philoſophiam. Quis obſecro fatebitur, accidens ſubſtantiæ eſſe productiuum, ſi ſemel affirmet, virtutem ipſi deficere internam innatámque ipſum producendi? An actio non arguit virtutem elicitiuam illius in agente? an virtus illa, ſeu potentia radicitus, ipſius rei eſſentia non eſt? Cum ergò dicitur actionem elici ab agente, in quo ad illam eliciendam non ineſt radix, ſeu potentia, in eo illam eſſentiam eſſe & abeſſe profitetur, eſt potentia illa, natura ipſa rei pro radice, at actio illa ab ea elicitur; ibi ergò præſupponitur, & præeſt, ſed non eſt, aut non præſupponitur neceſſariò, vt defenditur, eſt ergò ibi, & abeſt, quod quantum abſurdi contineat, liberè expendenti patebit, ſuper quo non pudeat conſulere Doctorem Ioannem Gonoſalium, Primarium ſacræ Theologiæ Complutenſis Profeſſorem, vbi num. 80. §. circa 6.

17. Tunc ſic. Vel verba habent intrinſecam, & innatam vim faſcinandi vel non; Si primum, ergò à quouis proferantur, tale maleficium operabuntur, quod ſuprà num. 7. concludebat Angelicus Præceptor, & extrà experientiam eſt. Si ſecundum. Nequibunt eſſe eius maleficij faſcinatorij cauſa: actio quippè inde implicat elici, vbi non præſupponit intrinſecam, & natiuam facultatem ipſius eliciendæ, (omitto moralia inſtrumenta,) niſi malis aquam ignem facere poſſe, ignémque aquam producere, cum euidens ſit ipſis vtramque actionem repugnare, non ob aliud, niſi

quia

quia vtriusque virtus, & essentia specie differens sit, essentque si id daretur, eiusdem & paris naturæ, quod iniuriosum extat omni rationi, & experimento.

Demum omnis alteratio corruptiua est propter generationem, sic docuit Philos. 1. de generat. Quid ergò intendit imaginatiua illa verborum alteratione? An alterius substantiæ productionem? An alterius imaginatiuæ? Quæ forma substantialis, quódve mixtum ea verborum alteratione intenditur? Sed perditur oleum his næniis refellendis. Consulito super hoc Delrium 1. disquis. Magic. cap. 4. quæst. 3. Mouram vbi sæpè sect. 2. cap. 4. à num. 5. ad 10. Raphaëlem de la Torre vbi suprà disput. 5. Ex quibus & ex dicendis reiicitur sufficienter aliorum deliramentum existimantium, verba, iam à naturali hominis temperie peculiari, iam ab Astrorum influxu prædictam fascinatricem virulentiam desumere. Sed nugæ sunt ab Angelico Doctore iam explosæ vbi hoc dubio num. 7. neque vbi noster Abbas Sancta Cruz lib. de morb. & symptom. protulit posse benè aliquem sub Astro maleuolo gigni virtute fascinandi prædito; putauit proinde illum sanum, & salubrem hominem esse, sed morbosa ac contagiosa dispositione affectum, quod in re verum esse posse consentiam, quamuis contagiosam illam dispositionem fascinum appellare, naturalémque, & non morbosam dispositionem, verbis abuti sit, rudique plebeculæ ansam errandi præbere, sed de hoc latiùs dubio sequenti. 18.

Exponitur Doctus Mendoza Iesuita contrà Zacutum lib. 1. de Medic. princip. hist. q. 53. conclusione prima.

EX quibus intelliges quo sensu assumendus eruditissimus Pater Mendoza quando lib. 4. Virid. Problemat. 8. affirmat verba sumpta *materialiter*, virtutem nonnunquam habere ad sanitatem inducendam, vel mortem maturandam, & similes Physicos præstandos effectus, non enim sensit verba prout talia, quidquam operationis habere, sed solum nos immutare posse prout significatiua animi pathemata occasionaliter excitando, quatenus 19.

nus scilicet bonum, aut malum, præmium, aut supplicium, vitam aut mortem indicant, id sonat puto *materialiter*, itaque noster animus Principum, aut superiorum verbis iratis, timore premitur, velut gratis alitur, quia scilicet imaginatio, cui sanguis spiritusque nostri subiiciuntur illos mouet iam intrò quo damnum per verba expressum fugiant, iam ad extrà quo indicatum bonum prosequantur, at his motibus illæ substantiæ alterantur necessariò, & consequenter nostra corpora, vnde in sanis sæpè morbus, aut mors, in ægris verò salus accrescunt, in quo sensu vera est illa eius Doctoris secunda conclusio, & interpretanda exempla ibi adducta, de Musica videlicet animum humanum sæpè alente, de bellicis instrumentis ipsum excitantibus. Omnia quippe hæc & similia, imaginationem commouent; iam ad ea quæ verba exprimunt, vel fugienda vel prosequenda, iam ad attentionem conceptus sententiæ harmoniæve à quibus distracta nullatenus profectò immutaretur, qui effectus, licet verbis aut vocibus tribuantur, non eorum formaliter, sed materialiter sunt, sunt autem effectus nostri animi concipientis sub ratione conuenientiæ, aut disconuenientiæ, quæ per verba aut voces exprimuntur, super quo legito eruditissimum Delrium vbi sæpè lib. 1. q. 3. c. 4. adi Zacutum lib. 1. histor. q. 53.

Cardanus reprehenditur, eiusque de Fascino sententia reprobatur.

20. Hieronymus Cardanus lib. 1. de venen. cap. 17. tres propriè fascini species supponit. Primam quæ à metu oritur mala quæpiam timendo, aut imaginando: secundam quæ à modo agendi, tractandi, percutiendi, aut intentius respiciendi: tertiam quæ imaginibus fit, suffossisve sub limine quibusdam rebus. Quamuis hanc tertiam fascini speciem contempsisse videatur. Mirum quod primam & secundam etiam non contemnat. Sed miratur Cardanus huiusmodi omnia Medicis ac Philosophis, vel ignota, vel neglecta fuisse. Si neglecta inquit, cur ab ipso etiam non contemnuntur? Si ignota, vnde inquit etiam illi tanta accessio? Sed admirationem deponit cum Auicenna, &

Alsarauio,

Alsarauio, cum in hoc comitialem morbum timore fortassis incussum adinuenit, in illo autem melancholiam dæmonis malitia operatam; at verò Cardanus suæ subtilitatis oblitus, notissimos affectus crasso iure ad fascinum ignotum reducit, certum quippè est timorem & tristitiam, si longo tempore sine causa perseuerauerint mentis alienationem inducere vt prædicebat Hippocrates lib. 6. Aphor. 23. atque ipsum timorem subito incussum, siue auditu, siue visu, subitam retractionem sanguinis & spirituum, ad viscera operari modo proximè relato; vnde solet comitialis morbus animi deliquium imò syncops euenire ab humore itidem melancholico diu cerebrum obsidente, morbus melãcholia oritur, at is humor dæmonis opera ibi duci, ac foueri potest. Sed si isthæc ô Cardane fascinationes sunt, non obsecro mireris, quod ea Medicis sint ignota, vel neglecta, nam quid aliud obsecro apud Primates Medicinæ frequentius leges? Sed illi nunquam tales affectus *fascinationes* esse somniarunt. Tu solus forsan illos ad vulgaris fascini ius reduces, quo tua subtilitate, crassos adhuc homines tecum decipias. Deponito luxum, ne precor, vocibus abutaris, scis siquidem metum imminentis mali, ac diffiti, tristitiam ab omnibus appellari. Non fascinum proximi aut subito occurrentis periculi omen, timorem dici, affectus verò in nobis relictos ex his occasionibus, melancholiam morbum, & morbum Comitialem, aut syncopem (prout ipsorum alter sequatur) Parentes Medicinæ vocarunt. Cur ergò tu verborum prodigus quæ nostra à primo sæculo obtinuit classis nouissimè immutare audeas. Obseruo tamen ex te fascinationes ex timore, & tristitia supponente ad patientis imaginationem illos effectus reducere. Sed de hoc quid probabilius affirmari possit latiùs in sequentibus auscultabis: interim ad aliter Philosophantes nostra conuertatur oratio.

Daniel Sennertus reijcitur & virtus imaginatiuæ ex qua fascinum admittit de medio tollitur.

Daniel Sennertus lib. de Chymicorũ cum Galen. & Aristotelicis consens. & dissens. tom. 1. c. 14. de viribus imagi- 21.

nationis. Cum omnem vim operandi per se in externa obiecta imaginatiuæ potentiæ adimeret; putauit illam per accidens saltim aliquid in nobis operari, inde scripsit. *Quæ de fascino dicuntur, planè de nihilo esse non possunt.* Putat imaginationem spiritus certo modo ad partes mouere, proindeque in inuidia, odio, aut ira, ipsos posse imaginationis vi ad aliquam, sed certam distantiam protrudi, ibique fascinatrix virus operari etiàm extrà corpus, externaque vsque obiecta. Sed hoc assertum Platonicum redolet, & ni in sensu inferius dubio proximo pro Angelico Præceptore exposito à num. 6. intelligatur, ea ratione reiiciendum est qua contra Carthaginensem pro eodem Sancto pugnabimus eodem dub. à num. 13.

22. Sed & Sennertus falsò imaginationi tribuit tanquam immediato agenti directionem illam spirituum ad partes intrà nos. Sequeretur quippè ex eius sententia posse nos pro arbitrio spiritus intra nos ad has aut illas partes conuertere, cum imaginationis actus liber sua natura sit Id verò contra experientiam est. Sed & medicis etiam notet in animi pathemate spiritus & sanguinem, cor atque viscera petere, aut aliter ipsa derelinquere, velut in ira est animaduersione compertum extimas partes substantias illas petere quasi inimicum aggressuras: in timore, & tristitia ad intimum corporis confugiunt, quasi confugientes ipsum quod proximè expendimus, neque è contrà si appetitus noster imaginatione præuia eosdem spiritus in ira ad intima, mouere vellet, aut in timore ad extima, illud assequeretur. Ergò quamuis imaginatio, vt Sennertus habet, certa ratione spiritus ad partes dirigat, non id operatur quouis modo, neque ad quascumque partes. Ergò neque pro arbitrio ad oculos, vel si hoc illi daretur non mittet extra eos, neque ad obiecta etiam proximiora, vt efficacius sequentia postcà confirmabunt.

23. Quæ de fœmina menstruis laborante speculúmque inficiente per oculos adduxit. Inferius soluta inuenies, & reducta ad vapores per os, per nares cutímque natura effluentes. Idem de Catoblepa virulento, sentiendum, quòd latè Erastus contrà Paracelsum notauit disput. sua cap. 1. cuius iudicio videtur etiam Sennertus adhærere, nisi inconstantiæ hîc ipsum arguamus, neque sua de motu spirituum opinio, rationibus caret, quibus improbetur.

betur. Meminerit obſecro actionem imaginandi immanentem eſſe vt ipſe fatetur. Ergò nequit tranſeunter aliquo modo operari, ergò neque per accidens ſpiritus ipſos commouere poterit. Quomodo immanens actio; tranſiens, neque per accidens erit? Dicet Sennertus imaginationem eſſe actum immanentem, ſed ad illam actum ſequi appetitus, ad hunc verò facultatis mouentis ſpirituum ſubſtantias (quæ naturalis eſt) actum ſequi, vnde commodè dici poſſet prædictum ſpirituum motum per accidens ab imaginatione pendere. Tamen contrà eſt, quia modus iſte motionis ſpirituum ſi expendatur naturalis omnino eſt, quamuis appetitionem præcedat, vnde determinatus ad vnum nulla ratione indifferens. Nequit ergo adhuc per accidens ad oculos pro imaginantis imperio, aut ad os, aut ad aliam tranſpirationis viam ſpiritus naturali potentia mitti, vt proximo numero monſtrabam.

Deinde imaginatio (etiamſi detur ſpiritus per oculos protrudere, ad certam diſtantiam) quo fine illos mouet? Quia ſpiritus ad oculos peruenire, quo viſionem iuuent, vel ipſam operentur finis naturæ, non errantis eſt, in quem illæ ſubſtantiæ fuerunt productæ; at extràoculos mitti, fine videtur carere, & omni naturæ ratione, ni malit Sennertus Platoni adhærere viſione in extramiſſione operari putantem, opinio hoc opere tanquam antiquata ſæpè à me exploſa. Denique demus huic, & aliis ſpiritus per oculos extramitti ab imaginatione, vel ab alia potentia, fateamur etiam ad proximam, & certam diſtantiam illos ſolum expelli (quæ faclia aliàs intelligi non ſunt) non proinde conſtat potentiam viſiuam qua talem huius mali authorem eſſe, conſtat verò, hoc damnum contagium verum exiſtere quaſi peſte laborans amicum adſtantem per virus oculis expiratum inficeret, ſed hoc faſcinum appellare abuſum in verbis inuoluit, & Sennertus, qui faſcinum vulgare de medio tollit, excuſare tenetur ſed de hoc latius dubio 4. ſequenti. 24.

Referuntur Authores Fascini præcipui Sectatores.

25. Sed quamuis hæc quæ dicta sunt probabilia sint; atque fascinum huius sortis propter à me præmissas rationes ex prudentum iudicio eradicandum foret: at fascinum alio iure in natura ponendum aliqui ex Philosophis, Medicis, ac Theologis asseueranter affirmarunt. Nouisque argumentis, & experimentis suam sententiam confirmare tentarunt. Horum sunt Marsilius in Conuiuio Platonis orat. 7. cap. 4. Collegium Conimbricense lib. 7. Physicor. cap. 1. quæst. 1. artic. 4. Victoria Franciscanus tom. 1. Theatri Deorum Gentilium lib. 2. c. 29. & eruditissimus Pineda vbi à Victoria relatus, Albertus Magnus lib. de motib. animal. cap. 7. ex Medicis Auicenna lib. 6. natural. p. 4. cap. 4. à Gentili de Fulgineo etiam vbi suprà relato, Algazelus 4. de Anima c. 4. Thomas Rodericus lib. de different. febr. Ioannes Ildephonsus Complutens. lib. de priuileg. Prægnant. priuileg. 10. Ioannes Sanchez de Valdes in historia hominum generali lib. 3. cap. 18. Antonius Carthaginensis inferius notandus, quibus consentire videtur Mercatus lib. 2. de puer. morb. cap. 17. Fragosus in antidotario, & nouissimè Zacutus Lusitanus lib 3. de Medicor. princip. histor. 16. quæst. 31. & alij. Conanturque hanc sententiam Diuo Thomæ tribuere, sed incassum vt postmodum monstrabo.

26. Pro quibus authoribus illud extat, quod Patrocleas, apud Plutarchum vbi suprà dicebat. *Quocircà genus eorum qui amoliuntur fascinum auxiliari aduersus inuidiam creduntur.* Contendebat ille inuidiam notissimam esse fascinandi causam: extat illud etiam quod Ioannes Ruelius lib. 3. de natura stirpium cap. 38. scripsit, *Quapropter malè audiunt apud doctos qui fascinum videant, & aniles existimant esse nugas.* Sed Gallus iste, si expendatur, inconstans in opinione est. Pro qua sententia illud Leonardi Vayri etiam est lib. 1. cap. 1. quod scilicet Philosophiam destruere videantur, qui fascino vtpote naturæ prodigio fidem non habent: quod Iudicium antiquitas dub. 2. relata comprobare videtur, denuóque pro his Authoribus probatur Sapientiæ 4. sic scriptum est,

eſt, *Faſcinatio nugacitatis obſcurat bona*, Apoſtolus ad Galatas 3. ſic ſcripſit, *Quis vos faſcinauit, ô inſenſati Galatæ, non obedire veritati.* Vbi notauit Gloſſa quoſdam homines habere oculos vrentes, qui viſu ſolo inficiant alios & maxime pueros, ſuper quo loco D. Thom. Anſelmus, alijque Patres faſcinum admittere videntur ad locum Sapientiæ hunc D. Pauli adaptantes.

Reyciuntur qui hanc ſententiam ex falſo principio confirmant.

Ante tamẽ, quam hanc ſententiã rationibus, & experimentis in gratiam horum Authorum confirmem, hoc vnum in alios eam inſequentes, aduertam, (vt expeditior via cæteris paretur) illos ſcilicet toto cælo errare, dum illam comprobare intendunt, ex eo præcipuè, quod cum imaginatio caſum fecerit in altera muliere, quæ ipſo concubitus puncto Æthiopem imaginata Æthiopem peperit, ità & imaginatio huius hominis poteſt, alterum alterare, & conſequenter viroſo faſcino afficere; Sed decipiuntur, quia etiamſi imaginatio in nobis certos effectus operetur, non ſequitur ipſam in externo ſubiecto, eoſdem operaturam, ſed illud argumentum eſt inefficax, quia aſſumit dubium per dubius probandum, quò quid deterius non conſtat faſcinum exiſtere in natura, ſed & minus conſtat imaginationem, in externa & ſeparata materia operari poſſe, legito Doctiſſimum Carrerum ſuper fen. 1. lib. 1. Auicen. diſput. 37. c. 8. num. 31. probant ergò ignotum per ignotius. Sed opinio affirmantium imaginationem in externis effectum operari immediatè non ſolum antiqua ſed antiquata eſt, vt cum Angelico Doctore ſuprà contra noſtrum Auicennam, Algazelum, & Gentilem notabam ſuper quo ſi placet præter plures conſulito Ieſuitam Noriemberg. in ſua curioſa Philoſophia lib. 2. per totum: ergò ex altera radice prædicta ſententia de faſcino debet à ſuis aſſeclis probari. 27.

Antonij Carthaginensis inuictißimi Imperatoris Caroli Quinti Medici opinio de Fascino traditur & refellitur.

28. ET duo pro cunctis huius factionis loquantur Authores Medici, Antonius Carthaginensis vnus, Ioannes Ildephonsus citatus alter, ille igitur lib. suo huius operis fascinum tanquam notissimum inter homines venenum constanter recipit, & pro viribus confirmat, inesse probans aliquibus hominum virtutem fascinandi, non ex aliqua elementali conditione ex materierum elementorum in primæua mixtione resultante, non ex qualitatum primarum neque secundarum corporum simplicium prouenientе, non denique ex ipsorum elementorum virtute, quam communiter Philosophi cum Principe in mixtis relictam fatentur; sed ex Astrorum maleuolo influxu cælestique pessimo aspectu concurrente, eo puncto momentóve quo quispiam hominum vuluâ egreditur, aerémque experitur, ipséque ab eo inspiratur, tunc (inquit) infelix ille infans, cælesti illa sed maleuola configuratione sigillatus, inficiendi, seu fascinandi potentia insignitur, quas plantas, & animalia, homines potiùs, sed & petras etiam destruere valeat. Impulsus fortè ad sic philosophandum Carthaginensis fuit ab Alberto Magno lib. de motib. animal. vbi hanc virtutem è cælo pessimam fascinandi supponit, præter alias miras, quas hominibus concedendas ex eadem radice fatetur. Vnde conclusit Carthaginensis, eò excellentioribus cælestibus qualitatibus homines, cæteris animantibus, præstituros, quò illi in essentia, ac specifica natura, sunt præstantiores, ergò quemadmodum animalia sunt, quæ cælesti quadam vi, aliis sunt noxia ac venefica; sic (intulit) homines aliis hominibus, noxij, ac malefici fascinatorésque superna Astrorum virtute existere possunt.

29. Quod si ab eo & asseclis inquiras, Vtrùm virtus illa cælestis aliqua dispositione elementali indigeat, quò in illis subiectis infundatur? Respondent posse contingere quod illa Astronomica virtus sola primarum qualitatum dispositione præuia inducatur?

Eo

Eo quod fortunata illius indiuidui natiuitas, ſub illa maleuola conſtellatione eueniens, nequiuit influentiam talem excuſare, ſed & iterum reſpondent, poſſe fortè fieri, quod mixtionis modus aliquis expoſtuletur vt aſtra illas & ſimiles qualitates in nos influant: neque proinde prædicti homines ab his authoribus venenoſi dici merentur, quia non habent, dicunt, principium intrinſecum neceſſarium venenandi? Fatetur præterea Carthaginenſis faſcinationem à manifeſta qualitate euenire poſſe, ſcilicet ab humore venefico, putridóque in halitum conuerſo, qui per oculos tranſmiſſus adſtantem puerum, tenerámve mulierem inficiat, quod probare contendit magno potius verborum, quàm rationum ſumptu, rubrica 2. ac 3. eius capitis 6. hanc vltimam poſitionem, vt probet, ſupponit vetulas ſanguine menſtruo abundare, quo veneficè putrefacto, oculóſque petente, ſpiritus viſiuos inficere valet, qui pro viſione operanda extramiſſi obiecta pertingentes quæ tenera, ac debilia ſunt, qualia puerorum, aut femellarum inficiunt, faſcinantque. Sed cum hoc vltimum aſſertum ſatis ni fallor in ſequentibus tum expendatur; tum etiam ad verum contagium reducatur; atque eius fundamento, (licet improbabilis) de viſione facta ſpirituum extramiſſione admiſſo; impoſſibilitatem adhuc faſcinum habere fuerit demonſtrandum; proinde inpræſentiarum omitto, nè actum agens, faſtidioſo vitio mihi detur.

Expendamus ſupereſt, quæ prius ab his authoribus ſupponuntur, & primò infælicem illam influentiam, quam ex Alberto Magno deſumpſerunt, Platonicorum more, qui non tam ex oculatiſſima experientia naturas rerũ ac principia in Philoſophia Peripateticorum ſtylo indagarunt, quam ex ſua ſola imaginatione ac Phantaſia. Digni ergò ſunt, quod in eos agamus, quibus tantum faſcinum eſt, vt nequeuntes illud in ſublunaribus aucupari, ad cœlum vſque peruolarunt, nihil incommodi putantes illi gratiſſimæ creaturæ Dei Optimi Maximi enarratori, fœdum ac horribile illud virus imponere, quis enim eam facere audeat faſcini authorem vt Scaliger ſuprà num. 6. rogauit, ij ſolum audent: dummodo habere poſſint ipſi, vnde ſua fictio comprobetur ad ſacram, anchoram fugientes quo cœlo muniti à ſuo commento difficilius repellerentur, neſcientes, tamen ſemel con- 30.

uictos

uictos eo profundius cum sua phantasia casuros, quo altius illam reposuerunt. Philosophus ergò hos & alios triplici via (quod in eius lectione frequenter expendetur) conuincebat, prima ipsissima experientia, secunda absurdo aliquo; tertia sophismatum eorum enodatione. Primam quod attinet cum prædicta Astrorum influentia sensu aliquo nobis haud innotescat, satis erit si ab illis inquiramus; an illa pessima Astrorum configuratio in illius hominis fascinatoris exortum influens diuina aliqua reuelatione, ne dicam diabolica fuerit illis propalata? Vel dato quod ea eo puncto contigerit, quonam sensuum illam in infantem influxisse compererint? nam si visu, reddant colorem, si auditu, grandis fuit sonus, qui ab Astris, ad nos vsque tonauit, si olfactu, cur obstetricem, aut parturientem præteriit? Si gustu; cur nauseabundum infantem non reddidit? Si tactu demum; cur adstantes, non læsit; vt puerulus ad vuluam non regreditur in praui sensibilis fugam.

31. Fortasse dicent ridiculum esse, naturales mixtorum potentias, aut virtutes sensibus exquirere, ne dum quas cœlum illis vniuersali concursu aut peculiari concessit. Sciant tamen obsecro, magnetis tractiuam ferri virtutem, aut cordis, arteriarum motiuam nos nunquam ratione nouisse; at ferri tractum & arteriarum pulsum, ipsissimo sensu experimur. Vnde in earum potentiarum notitiam euidenter ducimur. Dent ergò, obsecro, aliqua sensibilia obiecta eius cælestis influentiæ? Fascinationem dabunt. Sed hoc opus, labor hic. Imò & si comiter fascinationem fateremur, non tamen illam ex illa constellatione oriri aliquo sensu, aut ratione cogimur. Sed in hoc non est quod præter opus, perdatur & oleum.

32. Nec parua absurda (ne Aristotelis methodi obliuiscar) ex illa cælesti influentia pendent, namque præter ea quæ eruditissimus Delrius congessit, vbi sæpè lib. 1. cap. 3. q.4. §. *Dico quartò*. Qualitas illa aut erit conueniens esse & operari formæ eius hominis, aut disconueniens, & contra eius exigentiam. Si primum, ergò etiam erit conueniens alterius hominis formæ, vtpote eiusdem speciei, ac naturæ, vtraque forma sit, nullo ergò iure morbosa alicui hominum erit, nedum venefica. Si secundum, quam rationem reddent nobis, quòd tanto temporis curriculo ab infan-

tia,

tia, ad consistentiam, salubriter ille degit? Quomodo nutricem non infecit? Alios pueros quomodo non? Deinde quot erunt ipsissimo illo puncto eius maleuolæ influentiæ ortus? Quot bruta, quot plantæ? An credes omnia hæc viuentia fascinatrice illa facultate è cœlo conspurcata? impiè damnabis naturam; mallem nihilominus me aspiceret vipera, eo puncto, nata, quàm quod morsu tangeret.

Respondebunt fortè illam fascinatricem influentiam, nequire omni mixto viuenti, etiam sub illa nato inesse, cum ea exposcat, tale vel tale primarum qualitatum temperamentum, hanc vel illam materierum elementorum mixtionem, ad eius qualitatis cælestis, in eius nato receptionem, vt Carthaginensis, licet problematicè putauit iuxta illud vulgatum axioma, *non quodlibet agit in quolibet*, sed determinatum in determinato, vnde pugnare videtur oriunda quælibet, etiam sub illa configuratione illa dispositione donari qua infantulus afficitur, cuius ratione ad illius influxus receptionem præparatur. Tamen contra est primò, quia qualitas illa ab Astris deriuata, cum naturalis nascenti puerulo haud sit, vt illi inhæreat à naturali temperie dispositionem habere nequit, absurdum quippè est asseuerare, temperiem eandem & materiam adesse formæ, imò ad operari salubriter præparare idémque habere respectu eius peregrinæ, ac maleuolæ qualitatis, esset illa temperies tunc naturalis si respectu formæ expendatur, & præternaturalis si respectu eius influentiæ inde conueniens & disconueniens vnius subiecti respectu, quorsum obsecro? Quæ venefica præternaturalia ac toto genere disconuenientia sunt, à naturali temperamento foueri credamus? Præcipuè dum dispositio, quam in illo puncto illius influxus anima habet morbosa aut præternaturalis puero nec sit, nec debeat. Quo ergò iure naturalis formæ temperies ad qualitatem peregrinam & disconuenientem dispositio naturalis esse poterit; notissima ergò absurda ex illa positione sequuntur, & vrget istos qualitatem illam cælestem contagiosam alios inficere in aliosque operari independenter ab anima, & temperamento inficientis per illos. Ergò cum operandi modus essendi modũ præscribat; infertur certò illam qualitatem cælestem independenter à qualibet dispositione in recẽter nato introduci. Consequẽtérque in quouis 33.

eo puncto oriundo, quod erat absurdum in eos supra iactatum.

34. Secundò. Si illud temperamentum subiectum præparat ad eius malignæ influentiæ introductionem, dabitur abs re dispositio eadem ad sanitatem, simulque ad morbum in eodem subiecto: quippè illa temperies animam fouet, seruátque in materia, qua ratione naturalis, & salubris dicetur. Sed & ipsa ad illam influentem è cælo qualitatem conducit, quo sensu disconueniens, ac morbosa respectu animæ dici meretur, cum anima illam cælicam qualitatem exhorrescat, vtpote sit præter eius exigentiam, id quod & ipse Carthaginensis fatetur in fine secundi tractatus huius operis, vbi pro termino suæ fascinatricis alterationis formam cadaueris consignat. Si ergo illa maleuola qualitas ad corruptionem rationalis vel alterius substantialis formæ subiecti cui inhæret tendit; independenter omnino ab ipsa forma fascinantis atque eius fouente temperamento inducetur. Ergò omni mixto viuentíque illo puncto exorto, qualitas illa fascinatoria inerit, quod difficile satis prudenti Philosopho videbitur.

35. Quia non habeo à quo illa Astronomica qualitas in fascinante foueatur, quippè non à forma, aut eius temperamento, propter eam quam módò expendebam rationem. Sed neque à configurationis virtute in subiecto conseruari illa potest, quippè iam præterierit. Non enim malefica illa constellatio, quinquaginta, aut sexaginta, & plures annos, quos sæpè fascinator agit, perdurat. Rogarem iterum quo fine cælestia illa agentia vtpote vniuersalia ac naturalia, illam qualitatem fuerunt operata, quam intenderunt genesim. Quippè omnis alteratio corruptiua propter generationem est, vt supponunt Aristoteles & Diuus Thomas 1. de generat. neque illa qualitas cælestis potentiæ perfectiua est, cum subiecti destructionem paret, vt proximè dicebam ex eorum Authorum sensu. Sed si perfectiua, omni mixto, eiusdem speciei, naturali iure deberetur; quod neque ipsi, neque experientia ipsa fatentur. Quartò demum, quia illa maligna influentia in vniuerso etiam aëre potuit induci, sed omnes eo puncto fascinaremur, imò toto configurationis illius dominio, sed vnde id demonstrarunt? vel qua constitit experientia, fortasse dicent aërem

indispositum

indispositum subiectum existere receptioni eius influentiæ. Nullus ergò erit (infero) qui à fascinante inficiatur, cum infectio ab hoc illata per aërem tanquam per necessarium medium fieri debeat, ni velint agens in distans agere, sed non in propinquum. Contrà tamen est, quia aër infectionem recipit à fascinante, quo alios inficiat, vt & Carthaginensis, & asseclæ supponunt. Cur ergò ab Astris Astronomicam luem, aer non recipiet.

Contendent affirmare infectionem quam à fascinante aër recipit diuersam conditionem ab ea quæ ab Astris immittitur habere, vnde quæ ab Astris fluit fascinatorem constituit; quæ verò à fascinatore fascinatum solum aut infectum illa non indiget aëre medio, secus ista. Sed quis non videt isthæc gratis proferri: tum quia implicat quidquam è cælo tanquam vniuersali agente in nos naturaliter deriuari, nisi aër medium inter vtrosque existat; tum quia tametsi cælum in subterraneis mixta producit, quæ in aëre nequiuit. At verò omnis qualitas inde profluens alteratione per continuum facta ad terram profluit id est per aërem, quo per possibile deficiente corporum cælestium opera in sublunaribus feriarentur, & cui si cætera adessent, sufficienter qualitates cælestes insunt ad plurium mixtorum genesim, id quod non raro expertum est. Contrà ergò rationem est affirmare cælicam illam influentiam puerum nascentem attingere illæso aëre intermedio, præcipuè cum, vt anteà probaui, qualitas illa fascinatrix, independenter ab omni forma, omníque dispositione in subiecto à cælis producatur: alterabitur ergò eo puncto aër, inficiet ergò eo puncto plurimos, quod cum rationi, & experimento dissonet irrationale debet reputari. Præterquam quod si qualitas è cælo iacta puerum morbosè non afficit, ergò neque qualitas è puero in nos pulsa nostram valetudinem turbabit. Demum si qualitas cæli infectorem constituit, qualitas fascinantis constituere debet infectorem, at tunc fascinati fascinabunt, sed hoc nullus nec per somnium putauit. 37.

Sed expendamus conditiones, quas ille Author ad fascinum operandum comminiscitur. Supponit rubrica 2. c. 7. fascinatorem certum ac determinatum concursum à superno Astrorum fonte requirere, quo adstantem inficiat. Rubrica 3. præmittit homines atrabilarios ac melancholicos aptiores esse, vt fascinatores, ab

Astris fiant, quàm cæteri qui alio gaudeant temperamento. Fatetur etiam pueros dispositiores esse, vt fascinentur, cæteris hominibus, quia teneri, ac humidi sunt, sed quis non videt dissonantiam, quam secum hæ propositiones ostendunt. Quoad primam, dubium est, nec leue, qua ratione illa configuratio, quæ in puncto exortus fascinatoris dominata est, & necessariò præteriuit, concursum fascinanti præstauit, qui aliquot ab illa annis alterum hominem infecit? an illa certis temporibus, diebus dicam aut mensibus rediuit? an suscitatur continuò; an similis altera oritur? nam ad concursum præuium, aut simultaneum cum fascinante id videtur necessarium, at verò si ita accidit innumera esset fascinatorum caterua, vt est innumera nascentium tum temporis multitudo, qua verò ratione id credatur, cordati viderint, atque experimento veritas comprobetur. Sed si illorum nullum est, gratior erit iam fascinator ille; qui semel tantum per totam vitam infestus nobis esse potest. Quando scilicet illa præfuit configuratio, quod verò præmisit rubrica 3. quis feret? Nam sæpe ipse dixit illam influentiam tunc hominem recipere, quando eius puncto hanc lucem ingreditur, sed tunc est atrabilarius ille infans? éstne melancholicus? nam ea ætas, vt est commune apud Medicos, calido humidóque temperamento donatur, sic Hippocrat. 1. Aphor. tex. 14. & 16. vbi Gal. & lib. 9. Method. c. 16. & 17. præcipuéque lib. 2. de temperam. c. 2. estque sensus apud nos communis.

38. Vel si fascinatiua illa è cœlis lues, calidos præter naturam ac siccos, quales atrabilarij sunt, aut frigidos ac siccos naturaliter, quales senes, & melancholici habentur, tantummodò informat: cur pueri tam leuì inficiuntur, qui calida ac humida temperie gaudent? temperamentum certè cæteris oppositum: præterea quid est illud toties suprà ex hoc Authore relatum, fascinatiuam virulentiam independenter & absolutè, à quouis cæterorum, aut agentium, aut dispositionum, & in subiecto induci, & in eodem operari? Cum grauissimorum Doctorum sententia quæ pestem ab Astris sine aëris putredine oriri posse affirmat, concedat talem pestiferam constellationem nihil in viuentibus operari, sine eorum vitioso apparatu, aut mala succorum dispositione. Quorsum ergo nunc nouum concursum ille Author addit? non enim

probabilis

probabilis opinio, dubio incerto ac improbabili ſuppoſito; firmior eſſe poteſt. Quippè incertum per incertum comprobari Andabatarum mos eſt, qui vinctis oculis, quo tela iactent, luce quo illa dirigerent gaudent priuari. Demum gratis putat Carthaginenſis illum faſcinatorem, contagioſum dici, non mereri, quia non habet principium intrinſecum venenandi vt ſuprà num. 29. ex illo referebam: ſed dato quod illa qualitas cælica illi homini ineſſet, cur nam obſecro illum contagioſum non denominabit? quia non eſt principium intrinſecum illi homini, dicit. Sed Deus bone, qui peſte laborat, qui febre mali moris afficitur, contagioſus eſt abſque dubio, id autem non per principium intrinſecum hoc eſt à forma ſubſtantiali illius, aut natura ac conuenienti diſpoſitione dependens, ſed per putridum ſuccum veneficumque ex maligna certarum cauſarum alteratione ortum, neque ſemel eſt viſum aliquem à cane rabido morſum, alium infeciſſe ſine damno prioris: qua eadem ratione etiam illa qualitas Aſtronomica, ſi eſſet poſſibilis, gauderet; ergò ſicut illis ſuccis venenoſis infecti, contagioſi Carthaginenſi dicuntur, ſic illa maligna diceretur, cum vtraque infectio iiſdem conſtet rationibus iiſdemque ſpecie prædicatis vt conſtabit expendenti? Hæc ergò ſuppoſita eam cum ratione cohærentiam habent, quam cum veritate faſcinum, valeat ergò Carthaginenſis cum aſſeclis, dum ad Ioannem Ildephonſum conuertimur.

Ioannis Ildephonſi ſententia de Faſcino adducitur.

ALter Doctor Complutenſis eſt, & hic Ioannes Ildephonſus ſuprà citatus, qui faſcinum fatetur, ſed aliter comprobare conatur. Primò his experimentis, quia ſæpè homines, mulieres vel pueri viſuntur, vſque adeo macie conſumpti, vt de eorum vita ſummum poſſit haberi diſcrimen, quibus tamen nec Doctorum Medicorum cura profuit, neque remedia vt par erat, debitè adhibita ſatis fuerunt, ſed potius perſeuerante affectu, imò ingraueſcente ſæpius, ad vetularum ſuffitus Pſalmiſtarum, ſeu empſalmiſtarum (melius Pſeudoſalmiſtas diceret) orationes, 39.

& signacula, accedendo ipsos ægrotos pancraticè exinde habere, animaduersum est. Quod si obiiciamus illi occasionem Beatæ Vetulæ tempore naturæ morbum iudicantis, occurrentis; contradicit, quia sæpissimè visum est, aliquos pueros tali marcore, vt sic loquar seu macredine eneruatos existere, aliquas etiam mulieres, imò viros, in quibus tamen nullum indicium, eorum, quæ crises morborum præcedunt est animaduertere, & nihilominus prædictarum vetularum, aut empsalmistarum accessu sanitati prædicti languentes fuerunt restituti. E contrario verò sæpè etiam expertum est certos homines inueniri in quibus habitus ille Athletarum nequaquam inest, quos tamen cum vetula (de qua non leuem de fascinatrice lue suspicionem vulgus habet,) mala eorum sorte intuetur in morbos incidisse, in capitis ingentes grauitates, dolores, ac cruciatus, ciborum auersionem, ac febres experitur, signa ergò isthæc fascinum monstrantia sunt: quod naturale opus in quibusdam sine dolo reputari meretur.

40. Vlteriùs, nam & memoriæ fide omni dignæ proditum est, inuentos extare homines, qui vbi attenta vt aiunt mente marmor aspiciunt, dextra forma ac speciosa operatum, illico in partes diuisum, admirationi aspicientibus maximè fuisse. Sed & hoc idem de lapide Gagata (*Acauache* nobis dicitur) sæpè expertum habetur dum ad infantium collum, aut humeros sub ficæ forma in fascini tutamen aduehitur, quid. Quia notissima (inquit Complutensis) illa historia vulgatur illius Valentini Equitij, qui cum ex graui morbo conualuisset, vbi patinæ ipsi in mensa apponebantur, in partes subitò diuisæ, visiuæ solum actionis virtute, nouitatem admirandam inferebat: ex quibus grande assumit ille argumentum ad confitendum inesse posse aliquibus hominum vim naturalem fascino cæteros inficiendi. Vlteriùs præmisso iuramento (quo iuratam fascini opinionem habeas) confirmat sententiam duplici experimento. Primò, cuiusdam conualescentis, qui (vt & ipse Doctor præsens obseruauit) cum à muliercula de vi fascinatoria suspecta aspiceretur, illico in cibi fastidium, & alia ferè lethalia accidentia incidit, à quibus nec liber euasit, vsque dum vulgaria contra fascinatos antidota fuerunt applicita. Secundò, Cuiusdam honorifici Sacerdotis, qui

ex graui ægritudine impurus adeò ac infectus euasit, vt omnes ipsi approximantes, ni robusta constarent natura, statim malo affectu inficeret, non ergò inconuenit naturæ aliquos existere fascinandi veneno donatos, præterea ex Galeni obseruatione illud probat qui lib. 6. de locis, venenum intra nos sæpè gigni fatetur, atque per dies latere, imò à cane rabido morsi visi sunt, qui concurrentes alios inficiunt, ipsismet morsis illæsis; addit menstruosas sanguinem frequenter emittere, quo sæpè teneros pueros, & debiles senes oblædunt, vt Plin. lib. 7. cap. 15. Nullum deterius venenum frugi, germinibus & arboribus inuenerit: ergò quemadmodum isthæc istis per naturam accidunt venena, non est impossibile per illam oculos adesse, qui simili aut alio afficiantur, quo fascinum naturale existat.

Prosequitur fol. mihi 189. historias scilicet extare, de quibusdam Antropophagis septentrionalibus, qui carnibus cum vescerentur humanis, & craneis pro vase ad potum vterentur (quod Plinius lib. 1. c. 2. memoriæ commendat) vapores adeò infectos expirabant, vt quos aliis alimentis vsos attingerent vel morte, vel pessima infectione læderent; deinde sic scribit. *Tambien dice Beno axia, que en la Philabaciata maior, viò vn caballo, qua à quantos miraua causaua vn desconcierto de vientre con peligro de la vida, ar qual nunca sacauan en publico, sino es cubierta la caueza.* Cur ergo (ille intulit) homines vi fascinantes constitutos adesse posse negabitur? Denique in huius opinionis veritatem plura in medium ducit exempla quorundam hominum gratiam naturalem habentium, certas ægritudines sanandi, & de Pyrrho Rege fertur solo certi digiti contactu lienosos sanasse; de Galliæ Regibus notissima fama, vsque hodie est de virtute strumas sanandi manuum vnico tactu. *Salutatores* itidem circumferuntur, admittuntur, quos à cane rabido morsis subuenire, halitu verbisque opinio vulgarissima est. Hæc & alià Ioannes Ildephonsus congessit pro fascino fide firmanda in natura Ergo cum contrariorum eadem sit ratio, sicut per naturam comparatum est homines adesse sanandi alios, virtute fœcundos, alios etiam per ipsam probare licet, inficiendi alios veneno infectos fascinatiuo; fascinum ergò naturale his experientiis, & rationibus videtur necessarium.

41.

42 In huius opinionis fomentum præter relatas extat notissima fama apud eruditum Mendozam Iesuitam vbi suprà lib. 4. Problem. 11. de quodam scilicet seruo Ducis Brigantiæ, (hâc ætate infamis & infidelis) qui seruus vbi fixis oculis attentóque obtutu falconem auem inspiceret, etiam quando ad prædam suo volatu æthera peteret in terram proijciebat: mirabile visu & quod grande ius visoriæ potentiæ pro fascino videtur tribuere. Quibus addunt quamdam experientiam omnis dubij expertem de effusione sanguinis per vulnus, in præsentia occisoris ex corpore violenter occisi: mira ergò vndique videtur visionis nostræ naturalis conditio, illique absque iniuria fascinandi proprietas attribuetur. Demum sic pro his contendunt alij. Constat plures lapides, herbasque altioribus virtutibus donari; quàm nisi adesset experientia, credi posset, id patet in magnete, qui ferrum trahit, in Rhabarbaro quod bilem, in Aconito, quod cor humanum disperdere habet, in hiacintho, qui ipsum fouere ac confortare valet. Ergò eodem iure poterit homo tali temperamento donari, à quo resultet, vel salubris, vel fascinatrix virtus aliorum hominum respectu, sed & Carthaginensis vbi suprà tract. 1. cap. 1. affirmat sibi relatum hominem in Ciuitate Guadalaxarensi, qui obtutu solo specula minutim confringebat; alterumque in Oppido de *Ocaña* in tantũ suo aspectu nociuum, quod infantes proprios, nedum exteros, nescio quo contagio de medio tolleret, imò equos in eius intuitus præsentia sæpè vita priuasse, vnde rubric. 2. cap. 6. conclusit, adeò grandes, ac mirificas proprietates homini (è cœlo infusas, vt suprà legisti inesse, quod si nostra mens minus curis, aut cogitationibus distraheretur, posset ex vi illarum (cælestium) virtutum non solum præteritorum recordari, imaginarique præsentia, sed & mirè prædicere futura. (Sed hoc assertum Arabum fallaciam sapit.) Ergò abnegandum non est, concludunt, quod velut herbæ, lapides, animalia etiam inueniuntur aliis amica aut noxia, sic homines adesse non implicat qui aliis fascinatores sint, siue cælesti, siue elementali virtute id factum credamus: sed pro his omnibus dubium septimum expendito, interim ausculta, veram huiusce dubij solutionem.

DVBIVM

DUBIUM IV.

Quid de fascino verius sentiendum.

Circa quartum annotato fascinum naturale in quouis sumatur sensu, vsque adeo me semper fuisse execratum, vt vix aliud superstitionis genus apud vulgus inuenerim, quod sic stomachum subuertat, aures conquasset vel maniam inducat. Eoque magis ad id affirmandum conuincor, quia passim inanis fascini opinio plures hominum & mulierculárum ad miseram mortem, ad graue peccatum, & quod miserabilius est ad Idololatriam conducat. Cæca fuit illa dub. 2. relata, cæca etiam est hæc nostra ætas, quæ tot incantamenta, tot superstitiones profitetur, hic vetulæ sunt, quæ suffitibus, benedictionibus contrà fascinum vtuntur, illic homunculi sunt, & illi quidem barbari, agricolæ, ignorantes, perditissimi, qui afflatu, aspectu, verbis, & cantilenis in fascinum irruunt. Passim etiam sunt Sacerdotes (ô Deus bone) & Religiosi, qui contrà illud ipsum nomina Psalmi seu empsalmi ex sacris literis propria authoritate constructi proferunt. Sed & aquam ex calice, hostias (faxit Deus ne sacratas) certo numero exhibent, cum non leui Catholicæ Religionis dedecore, & maximo vitæ ægrotantium periculo, vt cum Vayro dixerim lib. 3. cap. 1. *Si Iesus Christus Saluator noster in hunc mundum ad humanum genus redimendum, & illuminandum, dæmonúmque fraudes destruendum non venisset; adhuc in tantorum errorum tenebris, vniuersi Catholici iaceremus quemadmodum veteres iacuisse legimus.* 1. *Authores grauissimi adducuntur fascini possibilitatem, & existentiam abnegantes quod tanquam Catholicæ Religioni certum & conformius approbatur.*

Sed audi grauissimã Theologorũ fascino dissentientium classem ipsum maximoperè, in quouis sensu ex dub. 1. relatis execrantem. Ricard, quodlib. 5. q. 12. Antistes Abulensis innumeros cap. 21. colum. nouæ editionis D. Hieronymi supra verba Diui Pauli nuperrimè transcripta, vbi etiam Chrysostomus & Anselmus, aliique Patres à DelRio vbi suprà citati, quos etiam ipse insequitur lib. 3. disquisit. Magic. q. 4. sect. 1. Leonard. Vayro per totum 2. & 3. lib. huius operis, doctissimus Suarius 1. tom Meta- 2.

 taph.

taph. sect. 8. disput. 18. num. 26. Fr. Raphaël de la Torre in 2.2. Diui Thom q. 96. art. 2. disput 6. assert. 1. Torreblanca lib. 2. de lib. 2. de Magia c. 37. num 46. estquè expressa Diui Thomæ sententia 1. part q. 116. art. 3. ad 2. & D. Basilij homil. de inuidia quos flagel. malefic. tom 1. c. 13. & tom. 2. c. 8 Ciruelo de superstitione c. 5. insequuntur. Ex nostratibus verò doctissimi sunt, qui fascinum siue naturale, siue physicum dicas, cane peius, iam sunt perosi. Ioannes Fernelius 2. de abditis rerum causis cap. 16. Andreas Laurentius lib. 1. de mirab. vi strumas sanandi cap. 4. 1. Histor. Anatomicæ q. 1. subtilis Franciscus Vallesius lib. de sacra Philosoph. cap. 68. & lib. 4. Controuers. cap. vlt. & alter Complutensis Vega 1. de differ. febr. & 2. de arte medendi sect. 6. & 1. Aphorismor. comm. 3. Hieronym. Mercul. 1. de morbis puerorum, cap. 3. Ludouicus Mercatus tom. 1. lib. 2. clas. 2. art. 6. quamuis contrà citatus supra videatur, nobis tamen consentire expressius opinor Hieronym. de Huerta in Problem. Philosoph. 1. & super Plinium ad c. 2. lib. 7. Abbas sancta Cruz 1. de morb. & sympt. cap. 4. Leyua contrà el Abuso del tabaco part. 3. cap. 3. art. 9. (quamuis à vero aliquantulum deuiat) Vincentius Molles lib. de morbis in sacris literis cap. 23. Daniel Sennertus tom. 3. p. 9. cap. 1. Ioannes Riolanus lib. 1. in Fernel. cap. 19. pluresque alij, vt fastigium authoritatum excusem. Estque verissima sententia Christianæque Religioni conformior.

3. Abulensis sic. q. 14. *Dicendum est, quod plurimi eorum, qui Catholicæ veritati valdè inhærent fascinationem nil esse dicunt, nullum quoque animal fascinari id est oculo percuti, nullum quoque bonum, aut malum posse causare*; & quæst. 18. sic. *Nos quoque cum tota Catholicorum Ecclesia fascinationem improbamus quam accipiunt vulgariter intelligentes.* (vt mireris quo iure Zacutus doctissimum Abulensem fascini Patronum adducat) D. Hieronymus sic. *Dignè Paulum, qui etsi imperitus est sermone, non tamen & scientia, debemus exponere non quod scierit esse fascinum, qui vulgò putatur nocere, sed vsus sermone sit triuij, & vt in cætero, ita & in hoc quoque loco verbum quotidianæ sermocinationis assumpserit.* En sermo Pauli (sapiens aliàs ac Diuinus) quasi imperitus à Sancto Doctore habetur. Cur putas? Quia, intellige, fascinum, non solum res vana, sed & verbum, & nomen imperitorum solum

est

est super quo latius dub. sequenti. Delrius demum sic. *Hanc fascinationem cum suis remedijs nemo negauerit superstitiosam esse opinor.* & paulò pòst; *Sine maleficijs verò opinionem de solo morbo per laudationem inferendo, nemo Catholicus Theologiæ peritus, aut veræ Philosophiæ sectator, admiserit*, subtilis noster Vallesius hæc scripsit. *Fascinationis itaque nomen antiquum est, atque secundum antiquam significationem, nullum naturalem morbum significat sed superstitionem vanam ex vulgari natam opinione, atque ideò, neque Hippocrates, neque Galenus, neque veterum Medicorum quisquam, quod ego sciam, fascinationis meminit, neque inter morborum differentias, neque inter eorum causas. Vnde rursus non parum probabile accipitur argumentum eius vanitatis.* Et quidem hanc eandem ac certam fuisse Angelici Præceptoris sententiam sensit expresse Fr. Raphaël de la Torre vbi suprà assertion. 2. quod luce clarius monstrare, si quædam de contagij natura præmisero, conabor.

Contagij natura, diuersitas, & ad illud conditiones exprimuntur.

EST contagio vt communiter Doctores Medici loquuntur, infectio quædam, qua mediante similis affectus alteri inducitur, ei, quem inficiens patitur, proinde noster Vallesius super Galeni lib. 1. de different. febrium cap. 3. sic contagium definiuit. *Vocamus autem contagium corporis sani, cum corpore ægrotante infectionem similem.* Vbi infectionis nomine actio significatur per quam commodè contagionis exprimitur natura nec qualis qualis, sed præternaturalis, ac homini disconueniens, id quidem infectio rigorosè sonat: at verò actio, quæuis ea sit, essentialiter agens præsupponit, id autem omnium ore in contagio res contagiosa est, quæ vel vapor, aut qualitas erit à corpore cōtagioso prodeuntes, vnde primò emergit duplex cōtagionis diuersitas. Prima, quæ medio vapore, ex corpore infecto expirat. Secunda, quæ media qualitate, alteratione per continuum facta passuro corpori inducitur. Tertiam addiderunt alij contagij differentiam, sed quæuis ea sit, ad alteram prædictarum facile reducendam comperies, nam qui peste laborat, vel vapore medio alterum 4.

inficit, vel alteratione media (quod est per qualitatem) lædit. Hæc rursus infectio, tum inter corpus infectum, & sanum agi debet, quo contagium nominetur; tum inter subiecta eidem speciei, vt inde noscas cæteras infectiones, quæ sic non intercedunt, contagiones non dici, sed infectiones solum: proinde optimè notauit Maroia lib. 5. de febr. quæst. 1. infectionem illam, quam sæpè è lethiferis animalibus patimur, contagium haud appellari; Id autem quia illud animal quod nos inficit, morbo non premitur. Quippè deleteriæ illæ qualitates, aut Phalangij, aut viperæ, naturalissimæ illis sunt, neque nobiscum specie conueniunt.

5. Ex dictis deinde duplex ad contagium conditio detegitur. Prima est Philosophi 1. de generatione c. 9. docentis, Omne agens agere quodam tactu, nisi quidem corpus patiens & passurum contingantur, seu contactu Physico, seu Mathematico actio non fiet, vel hoc aut illo cõtactu deficiente illud per medium non fiet, & effectus non sequetur, quia natura per vacuum actus non elicit. Ergò per contactum immediatum contagium per qualitatem fiet, quando scilicet inficiens, & infectum, aut Physico, aut Mathematico coalitu se contingunt: per mediatum verò quando vapore medio aut per medij alterationem (quam per continuum vocant) ad corpus vsque passurum infectio transit; denique ad patiendum capacitas ex inficiendi parte prærequiritur. Sympathiam cum Valesio vocant, vni: Analogiam cum Fracastore alij; at certum est nos non pati, ab homine alio, secundùm quamlibet nostri corporis partem, sed ab scabioso, qui cute laborat secundùm cutem inficimur, à lippiente, qui oculis secundùm oculos, à phthisico, qui pulmonum vlcere, secundùm illos; denique à pestilentia laborante qui secundùm cor laborat, secundùm illud etiam inficimur. Sed de contagio isthæc sufficiant, prout ad expositionem Angelici Præceptoris textus, visa fuerunt necessaria.

6. Vt ex his habeas in contagio tria conuenire, res scilicet contagiosa, contagio ipsa, corpusque inficiendum, ex quibus Doctorem Angelicum, neglecto fascino vulgari ad ipsissimum contagium suam sententiam reduxisse ex ipsa contextus serie conuincitur. Reprobat sanctus Doctor Arabum Medicorum principis sententiam, qua fascinationis causam ex meræ imaginationis vi pendere,

pendere, videtur protulisse, vndè inferri videbatur substantiam spiritualem externam materiam immediatè immutare posse, quod abest à vera Philosophia, & sancti Doctoris sensu, ibi. *Sed suprà ostensum est quod materia corporalis non obedit substantiæ spirituali ad nutum, sed soli Creatori*, adducit illicò ex proprio sensu prædictæ immutationis causam ibi, *& ideò melius dicendum est, quod ex forti imaginatione animæ immutantur spiritus corporis coniuncti; quæ quidem immutatio spirituum maximè fit in oculis, ad quos subtiliores spiritus perueniunt, oculi autem inficiunt aërem continuum, vsque ad determinatum spatium per quem modum specula, si fuerint noua, & pura, contrahunt quandam impuritatem, ex aspectu mulieris menstruatæ, vt Arist. docet de somn. & vigil.* idem docuit lib. 3. contr. gent. cap. 103. Præmittit, ex vi imaginationis spiritus immutari, non verò localiter solùm moueri ad oculos, vt insinuasse videtur Carrerus fen. 1. 1 d. 7. sum. 1. cap. 2. disput. 37. c. 6. & interpretatur Abbas sancta Cruz, qui ex mente Doctoris sancti deduxit ipsum supponere humores prauos in corpore, atque ex vi passionis animi solùm cum spiritibus ad oculos localiter moueri; at constat clarè sanctum etiam sensisse, ex vi fortis imaginationis spiritus alterari, seu immutari; immutentur benè quia motu calefiunt, quia calore putrescunt, quia putredine venefici redduntur, quia humoribus putridis ob motum immiscentur ac eorum contagio inficiuntur, immutentur aliter, vel aliter, constat eos ex vi fortis imaginationis immutari, sed ad oculos mitti naturæ opera fit, actu inquam necessario, non libero, qualis imaginantis est, ergò immutantur eo casu solùm ex vi imaginationis; ad oculos feruntur ab alia potentia.

Sed audi verba id exprimentia. *Sic igitur cum aliqua anima fuerit vehementer commota ad malitiam sicut maximè in vetulis contingit, efficitur secundum modum prædictum, affectus eius venenosus.* 7.
En alteratione, non motu locali spiritus immutantur, vnde spiritus ipsummet cui inseruiunt corpus inficere prius debent, sed oculi substantiam, (cui maiori copia succurrunt, pro continuò operanda visione) priùs: & ni ità euenisset minori cum periculo, cum præmissis vetulis versaretur, & hoc expressit Sanctus quando dixit. *Oculi autem inficiunt aërem continuum vsque ad determinatum spatium.* At verò qua ratione oculi aërem inficerent, ni

 virulentam

virulentam ab ſpiritibus accepiſſent luem,ſed quid aliud eſt contagium? Ex vi putredinis lethalis in febre peſtilenti, humores maligni, corpus cui deſeruiebant inficiunt, horum verò vaporoſæ partes, iam per poros oculorum, cutis vniuerſæ, aut expiramentum pulmonum, & cordis exhalant, illæque inficiunt aërem continuum, vſque ad determinatum ſpatium, & plures adſtantium perdere experimur, hanc læſionem placet tibi cum communi Medicorum ſchola contagium appellare, ſed an Sanctus Doctor aliam proponit? Cur illam faſcinum appellas? Ab eo quippe habes, affectum viroſum oculis (non viſiua potentia) ab ſpiritibus illatum, habes rem contagioſam aërem ſcilicet ſeu vapores ex oculis miſſos ab eiſque infectos. Et denique infectionem ipſam qua mediante ſimilem affectum corpus adſtans patitur, quid aliud obſecro ad contagium requires? Sic rem explicant Suarius, & Sancta Cruz quos clariùs inſequitur Mercurialis vbi ſuprà, nec diſſonat Mercatus vbi dubio 3. num. 25. citatur. Quibus conſonat Zacutus lib. 3. Hiſt. quæſt. 31. quibus prædictam per oculos infectionem contagium placet appellare, dummodò infectio inter eiuſdem ſpeciei indiuidua contingat, ſecus autem vt dicebam, retento generis nomine, infectio ſolùm appelletur.

Interpretatur Ariſtoteles de operatione potentiæ viſiuæ ad extra.

8. NE tamen Ariſtoteles errandi cauſa tibi fuerit, vbi videtur infectionem prædictam à muliere menſtruis affecta in ſpeculum ipſiſſimæ actioni videndi attribuere; placet ante vlteriorem progreſſum eius verba in medium adducere, ac commentari, quo conſtet ipſum de infectione ex oculorum ſubſtantia orta loquutum, nulla verò ratione de ipſamet potentia viſiua, aut eius actu videndi, quod maximopere aduerſi contendunt. Quæ vt clariùs exprimam; ſupponere decet Ariſtotelem contrà Platonem & alios putaſſe viſionem ipſam in ipſomet videndi inſtrumento operari, quod oculi pupilla eſt, in Galeni & Medicorum communi ſententia, illaque viſio fit, interuentu quarundam

rundam ſpecierum quas obiectum in potentiam mittit, quibus ipſa fœcundatur, paritque notitiam ſeu ſenſationem,quæ doctrina vſque adeò à Paripateticis ad nos vſque inualuit, vt tanquam veriſſima, ac notiſſima ab omnibus hac ætate Philoſophis recipiatur, quámque ſupponit Philoſophus lib. 2. de anima cap. 7. & cap. 12. expreſſiúſque lib. 3. eiuſdem operis cap. : . vnde conſtat, necunde coniectari licere, vel ſemel, ipſum contrarium opinatum, atque ſi quando eius in lectione verba extent, quæ huic ſententiæ videantur diſſentire, ad eam quæ libro de anima expreſſit reducenda fore, & iuxta ea interpretanda.

Qua doctrina communi præmiſſa ſciri nunc oportet Ariſtotelem cap. 2. libri de inſomniis, (quem Angelicus Doctor ſub nomine de ſomno & vigilia ſæpè citat) totum eſſe in demonſtranda cauſa inſomniorum, quod vt aſſequatur præmittit, ſenſilia omnia in ſenſoriis operari, producendo ſcilicet in eis ſpecies ſeu imagines quaſdam, (quas Philoſophi impreſſas vocarunt) at non ſolum tunc ſenſoria pati, ſeu recipere ſpecies illas, ſed & eas etiam in obiectorum abſentia retinere. Verba ſunt. *Etenim ſenſilia ipſa in nobis per ſingula ſenſoria ſenſionem efficiunt, & affectio quam ea inuehunt, non modò in ſenſoriis ineſt cùm ſenſus agunt, ſed etiam cum ab opera diſceſſêre.* Quam poſitionem alias expertiſſimam probat primo lationis exemplo; ex qua conſtat illo agente, quod impulſum in mobili produxit iam ceſſante, & nihil vlteriùs efficiente mobile adhuc agitari, quovſque impulſu remiſſo ac deficiente à motu quieſcat. Approbat ſecundo alterationis experimento, in qua, eo, qui rem calefacit iam abſente conſtat adhuc calorem, ad aliquod tempus in calfacto ſeruari; duabus item aliis poſitionibus, præmiſſa aſſertione comprobata; obiectioni cuidam ſatisfacere, intendens, docet, poſſe bene euenire vt potentia aliqua ſenſitiua, aliis ſpeciebus fœcundata, nouis adhuc informetur, nè alicui difficile videretur (quæ tacita obiectio erat) concedere potentias ſenſitiuas antiquis ſpeciebus fœcundas, aliis denuò fœcundari poſſe (in quo inſomniorum naturam, & cauſam detegit Philoſophus) quod probat ſpeculi noui, ac puri exemplo, in quo etiam ſi recipiatur mulieris ſpecies illud ſpectantis, recipitur nihilominus infectio quædam dum illa menſtruis afficitur per oculos in illud illata, vt hoc

hoc experimento constaret primò posse bene in potentia sensitiua specie veteri donata aliam denuo recipi. Constaret etiam secundò (huc tota tendit interpretatio) dici aliquo sensu posse visum non solùm pati ab obiecto aliquid, ídque cùm illud percipit, sed etiam aliquid in illud agere oculum ipsum; ídque cum applicito oculo ad obiectum quo imagines obiecti suscipiat per ipsummet oculum, eiusque necessariam per poros euaporationem in obiectum ipsum infectio aliqua si quæ illi inest, inducitur.

10. Quæ Philosophi assertio aliter quàm interpretor intellecta, plurimis super hoc Philosophantium errandi causa erit occasióque fascinum per visionem ipsam affirmandi, at Philosophus hîc dum de actione visus in obiecta loquitur, nullatenus de ipso videndi actu talia sentire vult, sed de oculo ipso instrumento materiali visoriæ facultatis, per quem aut eius porositates infectio ex menstruis illi inducta aëri contiguo communicatur inficitúrque obiectum adstans, seu speculum purum (vt exemplo Aristotelis vtar) audito eius verba. *Causa autem est, sicuti iam diximus, quod non solùm ab aëre, visus quippiam patitur, sed etiam in aërem quippiam agit, atque eundem mouet, perinde atque splendida, nam visus de genere splendidorum, & habentium colorem est.* Hæc ille. Ex quibus euidenter constat nomine visus ad extrà quippiam operantis nulla ratione ipsum, potentiam visoriam, aut eius videndi actionem intellexisse, quippe potentia ipsa, aut eius actus, nec lumen habent, nec colorem, has quippe qualitates organo atque instrumento potentiæ, oculo inquam inesse omnibus oculis manifestum est. Quando ergò visum in aërem agere docet Aristoteles de eius instrumento interpretari deberi abs dubio ni fallor est: quasi ab exemplo Philosophus sic induceret. Oculus ipse lumen ab aëre recipit quando aër luce illustratur, sed & ipse aër illustratur etiam aliquando ab oculo, quia hic ex natura illorum qui lucem habent est. Ergò oculus lucem patitur ab aere, ergò aer lucem patitur ab oculo, quippiam ergò oculus agit, ergò poterit & idem oculus non solùm speciem sui in speculum mittere, sed & infectionem si quam habet.

11. Sed ausculta præter hæc quæ immediatè eo capite leguntur. *Hoc igitur tempore quo mentes profluunt eodem modo oculos, quo quamlibet,*

quamlibet aliam corporis particulam affici ratione optima euenit: quandoque suapte natura venulenti sunt, quocirca tempore menstrualis profluuij quod commotione, & inflammatione sanguinis prouenit discrimen in oculis habetur; quod quamuis nobis ineuidens sit, reuera tamen in eisdem est. Ab ipsis autem mensibus, qui ad oculos penetrarunt, aër mouetur & inficitur, aër infectus alium aërem qui speculo proximus est, sibi hærentem inficit, & talem qualis ipse est reddit, è quo postremò eluuiecula quadam allinitur, quid clariùs exprimi potuit? aut quo expressiùs ipsam visionem, aut potentiam à ratione inficiendi excludi? Neque eius lingua Doctor Angelicus, aliud lect. 3. ad illud caput explosit, *& oculus infectus* (scribit) *mouet aërem sibi contiguum, & ille alium successiuè vsque ad aërem contiguum speculo, quoniam aër est infectus consimili passione qua inficitur oculus.* Et ad rem inferius sic expresse, *& ita non inficit speculum.* (supple oculus) *in quantum videns, sed in quantum inquinatum, vel incomplexionatum, vt in Basilisco.* Vt inde habeas vnde obstinationem deponas, neque abhinc affirmare velis visionem aut eius potentiam quippiam in obiecta deriuare, quod neque Philosophus neque Diuus Thomas somniarunt; sed ex infecto oculo ex eius substantia (quæ humoribus, tunicis, neruis, venis, arteriisque conflatur) alterata ob sanguinem menstruum aut aliam prauam corporis dispositionem obiectum adstans aëre medio infici, alterari, moueri, vt & idem Sanctus contrà Auicennam & sequaces probat lib. 3. contrà gentil. cap. 103.

Et vt omnem doctrinam, quam à numero 6. ad hunc vsque tradidi in Sanctum eundem referamus, legito quæ super caput tertium D. Pauli citatum scripsit. *Vnde non est verum* (inquit) *quod Auicenna dixit de huiusmodi fascinatione, & ideo dicendum, quod ad imaginationem, seu apprehensionem hominis quando fortis est, immutatur sensus, seu appetitus sensitiuus, quæ quidem immutatio non est sine alteratione corporis, & spirituum corporis sicut nos videmus, quod ad apprehensionem delectabilis mouetur appetitus sensitiuus ad concupiscentiam, & exinde corpus calefit, similiter ex apprehensione timendi frigescit, immutatio autem spirituum maximè inficit oculos qui infecti rem per aspectum inficiunt, sicut patet in speculo mundo, quod ex aspectu menstruatæ inficitur, sic ergò quia vetulæ obstinatæ in malitia, & duræ sunt, ex forti apprehensione im-* 12.

tunc temporis aduersos fascinasse, occasio ergò quam Angelicus Præceptor adducit necunde videtur recipienda.

16. Verum enimuerò quamuis fascini nomen, nedum res ipsa, vana quædam ac superstitiosa notio mihi sit. Quia Angelicus Præceptor in præmissis verbis medicè satis rem attingit eamque contagium verum putat vt dictum non semel iacet, eum oportet à Carthaginensis calumnia vindicare; tum quia vera loquitur, tum etiam quia Galenus Pergamensis, Vallesius subtilis, aut doctus Mercatus rem hanc si assumerent expeditiùs non explorarent, vt ex nuperculè dictis ad sancti Doctoris phrasim constare arbitror. Nunc iterum expende alterationes substantiarum intrà nos existentium difformes multùm euadere, pro cuiusque tum agentis tum patientis dispositione, ex hoc principio irrisit Galenus 1. de causis morborum c. 2. nescio quos medicos dubitantes, cur ex causis morbum calidum accendentibus non semper febricitamus? Quod nunc videtur Carthaginensis ferè dubitare cur scilicet (rogans) ex vehementi imaginatione non semper contagiosi redduntur spiritus; aut ex vehementer febrientibus, non semper, *quia* (respondet Galenus) *effectricis causæ quantitas inæqualis est; tum etiam quia affectus quem ipsa corpori infert magnam in minoris, maiorisque ratione suscipit differentiam, præterea animantium* (id est patientium) *corpora alia aliis longè sunt vel promptiora, vel contumaciora ad hoc vt à naturali habitu deflectant*, En responsum Galeni latè ab eo 1. de differentiis febr. c. 6. prosecutum: quod in D. Thomæ fauorem benignè accipere ipsique acquiescere Carthaginensis tenetur. Sed nunc reddat ipse nobis, cur ex cutis pororum constipatione, ob externam causam ipsos constringentem, alij homines plethorici, & saginati, alij præter naturam calfacti, ac febrientes redduntur? Et qui febricitant ex hac occasione cur, alij diaria, alij cur putrida febre corripiuntur? Det nobis iterum cur inter ex tali causa febre putrida affectos, alij quotidiana, alij ardenti, alij maligna ac perniciosa apprehenduntur? Nisi ad dispositiones humorum intra nos existentium multiformiter agere & pati determinantes confugiat, nihil supererit respondendum. Cùm sic Galenus has & similes sedet quæstiones, vbi proximè, quo in loco dum quæreret, cur in pestilentis aëris constitutione, alij facilè, difficilè alij

peste corripiuntur ? Philosophicè satis ad diuersas agentium ac patientium confugit dispositiones. Ergò habet iam Carthaginensis, vnde occasionem labis in spiritibus, ab imaginatione, Angelicus Præceptor induxerit.

Sed neque proinde putrida febre laborantes contagiosos emittent spiritus, ni malit veram sequelam esse, quæ ex particulari ad vniuersale affirmatur, non enim quia aliqua putrida febris contagiosa sit, omnes putridæ contagiosæ erunt, quippè putridarum contagio non inficiuntur plures, pestilentium more, quamuis illi detur omnem febrem contagiosam putridam esse, sed contagiosa dispositiò quam vetula cacochymica habet, ex vi prauæ imaginationis febri necessariò non adiungitur, sunt etenim contagiosi absque febre plures morbi, velut scabies, lippitudo. Ad confirmationem dicito subitam mortem in teneris naturis euenire posse benè, ob contagium illud expiratorum halituum, cor pueruli petentium quod tenerum cum satis sit, velut flos facilè à leui causa marcescit. Sed tamen Angelicus Præceptor subitaneæ illius mortis non meminit. 17.

Exemplum illorum hominum, proprios filios contagio inficientium, dum latiùs posteà expendatur nihil habet quod Sancti doctrinam euertat: quippè ipse non negaret, homines complexione praua affectos ad fœminas puerósque suo prauo halitu perdendos, dispositos esse, nedum proprios filios, recolito quæ suprà num. 11. & 12. & eius doctrina transcripsi. Minoris habeo, quod rixantes homines præ odio se inficerent, quippe in eis praua adeò existat imaginationis affectio. Cum satis suprà fuerit ostensum, & ad Galeni mentem, incassum causam operaturam passurúmque patiens, ni inter vnum & alterum capacitas ac dispositio adsit, ad agendum, patiendumque, neque, ira quidem necessariò calorem febrilem inducit, neque tristitia frigus præternaturale. Ergò neque quælibet animi affectio, vehemens, aut irata imaginatio, semper prauè & veneficè spiritus, aut humores, intra nos afficiet. *Satius fuerit te* (vt cum Galeno loquar 2. de caus. morb.) *ob huiusmodi res nihil mirari, sed quænam animantium corpora, suapte natura facilè, quæ verò non ita facilè calefieri possint considerare*, id est, alterare aut alterari, *quippe calefieri*, exempli loco in medium fuit à Galeno prolatum. Ergo Angelicus 18.

Doctor medicè satis, contagium oculis illatum (quod vulgus *fascinum* compellat) expressit, vt sciant Carthaginensis sectatores, altiùs Lunam currere quam vt canum vlulatu infestari possit.

Nomen fascinum contrà obseruatores quosdam deletur, retenta communi antiquissima, & authentica voce contagij.

19. HIs omnibus respondent contrariæ sententiæ Authores, contagium à Diuo Thoma relatum per oculos inductum *fascinum* esse, at *fascinum* speciem esse contagij nihilque referre in vulgi gratiam relicto vero vocabulo fascinum illud appellare;ob idque plures etiam nostræ sententiæ Doctores, contagium physicum, alij fascinum physicum seu naturale vocarunt, etenim placet illis curam de nomine deponere, atque illud contagium *fascinum* bene appellare, scientibus nihilominus *fascinum* in re futile tantum, ac superstitiosum ignorantium nomen existere, Sed nihilo magis displicuit: in hoc enim tota vt verum fatear, huiusce opusculi cura nostra versatur, hoc totum opus nostrum; hic omnis labor: nec nomen ipsum *fascinum* ad vllam contagij speciem transferre patiar, vel si hoc; omnia contagij genera *fascinum* appellarentur, æqua est vndique ratio, ergò malignè febrientes, lippientes, pleuriticos, dum alios per oculos etiam, vt par est, inficiunt, effascinasse dicemus. Tu dices impropriè dici posse, ego ita impropriissimè, vt omnimodam excludam proprietatem,non me latet plures sentire contra me, de nomine parum curantes, at consulebat Seneca lib. de vita beata. *Quæramus quod optimum est, non quod vsitatissimum*, dicant obsecro fascinum vulgare in sensu hucusque exploso implicationem per illos imò impossibilitatem habet naturalem, vt ex dictis notet, atque ex dicendis constabit, sed si non est in natura verum *fascinum* quidnam in ea assimilabitur fascino? substantia spiritualis,expers cum sit corporis quo poterit tanto penicillo depingi, vt similis ei species, nec impropriè existimetur,estnè inter spiritum & corpus aliqualis similitudo? inter esse, & non ens?inter negationem, &

& existentiam ? inter impossibile fascinum, & possibile contagium ? nisi ad illa entia quæ suum esse per intellectum habent confugiant, non habeo quid reddant, sed hic res disquirimus, minimè notiones.

Verùm me iterum de nominis quæstione scribere contendis, id fatebor, quippè non modò rem, sed & nomen *fascinum* ab omnium mente deturbare contendo, scito tamen dubitari nunc, sitnè verè *fascinũ* opinor cum doctioribus negandum, tu illud constituis largo sensu. Ambo verò ipsum stricto modo negamus. Qua ergò ratione imaginem vis agnoscam, si originem ignoro. Ergò qui negando fascinum verum, improprium admittis, impropriè, etiam & longè à ratione philosopharis: quam rationem cum expenderet Eruditissimus Delrius, putauit absque proprietate aliqua contagium per oculos *fascinum* vocari. Sic habet, vbi sæpè lib. 3. q 4. sect. 1. concl. 2. *Philosophica seu physica fascinatio non nisi impropriè dici potest fascinatio, propriè verò est contagio, seu infectio.* Deinde ad hanc sententiam idem Iesuita me impulit, dixit quipè: *quia sicut de facti voce dici solet nomen esse suspectum, etiam si quis mentem habeat non malam, sic etiam de fascinationis voce libenter vsurpem.* Ergò nomen *fascinum* nec impropriè vsurpare decet, ausculta Catholicam rationem Abulensis vbi suprà. *Satis mihi molestum est, confiteri publicè aliquam posse fieri fascinationem* (en reprobat fascinum proprium, reprobat improprium) *hoc autem non ideò quod veritas latere debeat, desiderat enim veritas in publico collocari, sed quia simplices impotentes distinguere à falsis vera, dum audiunt fascinationem possibilem, arbitrarentur aliquid quod inconueniens esset, & ad superstitiones varias vterentur.* Hæc ille sapientissimus. Sed quis non aduersarios mirabitur Delrium audiens per hæc verba. *Quid? Quod certè decet, Philosophum & Theologum verum, quoad fieri potest vocabulis proprias significationes non confundere, ne vel grammaticis ludibrium debeat, vel fateatur se impropriè loqui. Macedonum illud probum ligonem, ligonem, palam, palam, proditorem, proditorem vocari, nihil clarius, nihil expeditius, nihil ad erudiendum alios accommodatius, quis ferat si incendium, voces diluuij nomine, quia flammis omnia inundat. si morbis aliena affigas nomina quis probet? facis cum contagioni fascinationis nomen imponis.* Isthæc audiens, quis amplius nec vocem *fascinum* retinebit: ne 20.

dum

dum ipsam ad ipsissimum contagium abusu nouo transferre audeat.

21. Sed maiori indagine hanc meam scrutabor opinionem. Metaphora, seu translatio (vt præ aliis Franciscus Sanctius cognomento Brocensis descripsit) *est mutatio significationis ex comparatis ad comparata, aut cum ex simili simile significatur* qui tropus propterea fit, quia vocum copia finita est, rerum verò ferè infinita, id quod Aristoteles notauit c. 1. lib. 1. Elenchorum, verba sunt. *Vocum siquidem orationumque copia finita omnis est, res autem numero sunt infinitæ, vt voce vna, orationéque eadem res multas significare necesse sit.* Ecce ex Philosopho tunc fit æquiuocatio cum plura vno quidem nomine, sed sub diuersa ratione designamus, licétque hoc per auditores ob vocum penuriam, indigentia scilicet vocis natiuæ qua rem proprio nomine significemus, aliàs potiùs poëtantis quàm verè philosophantis, licentia certè esset. Sic risus, hominis propriè actum significat. Metaphoricè verò labentis nitorem aquæ, virorémque prati significat. Sic montis summitatem, verticem vocamus, pedem eius quod est imum, sed vertex, & pes propriæ sunt hominis partes. In quibus, & huiusmodi aliis translationibus excusationem dum sic loquimur habemus, quippè vocibus, quibus illa exprimamus propriis indigemus. Aliter verò abusione, aut catachresi sermo inficeretur noster, at ille actus, quo impura vetula puerulum immissis per oculos vaporibus, lædit, voce propria non caret, qua exprimatur. Etenim contagium illam iamdudum cordati Medici dixêre. Cur obsecro fascinum appellare contendis? Haberem te excusatum si vox deficeret, *Ergò non fascinum*, *non fascinum* contagium, contagium dicere teneris. Placétne propria voce neglecta superstitiosam, ac fictitiam effingere. *Sed neque si quis* (cordatè dicebat Vallesius) *pestilenti affectus febri, aut etiam sine febre deferens secum pestis seminaria alium intuens intuentem inficiat dicetur fascinasse; sed peste affecisse.*

22. Vidit argumentum Doctor Ioannes Ildephonsus nuperrimè citatus fol. mihi 188. & ei satis esse contendens sic dicit. *A esta duda a mi parecer se responde congruamente con vn exemplo, y es, que razon ay, porque si caminando dos juntos en buena amistad y paz, y le da el vno al otro, vn pistoletazo, ò estocada la llaman traycion, ò maldad,*

maldad, y si a caso tirando à su enemigo, diò à su amigo, y à quien no tuuo animo de offenderle, llaman desgracia, mala suerte, ò desdicha y no traycion? assi pues en el caso dicho, para que lo vno se llame contagio, y lo otro fascino; tamen contra solutionem & paritatem est, quia prædicti actus si physicè expendantur eiusdem sunt naturæ & speciei, vterque quidem motus est localis, instrumenti ab homine impulsi, atque vtriusque est idem agens, idemque terminus, numero tantùm forsitan diuersi. At verò impulsus ille siue motus cum à potentia dirigatur, quæ voluntatis imperio subiicitur, liber abs dubio est, libertate quippè animalis loco motiua potentia fruitur, saltim quoad executionem, sed actiones liberæ specificationem, quam moralem vocant ab ipsa intentione, seu à præcepto desumunt, vnde hic actus hac intentione malitiosus erit, & ipse ipsa deficiente, vel præcepto obediens, vel meritorius, vel alia ratione indifferens. Contagio tamen nunquam à voluntate pendet, imò neque virtus contagiosa, quippè merè ex naturalibus habetur, vt & fatetur ille. Ergò eius actus nullam potest ab intentione denominationem sumere, cum liber non sit, neque menstruata mulier malefica suorum humorum dispositione liberè, aut pro arbitrio quemlibet bubinabit. Cum infectio illa, si quando accidit, actus sit potentiæ naturalis voluntati non seruientis. Vnde nusquam ab ea denominationem sumet.

Imò rigorosè loquendo, idem dicendum veniret, de fascino ab eius Patronis, secundum prædictam doctrinam, & argumentum. Ergò contagium nunquam debet fascinum appellari? Vlterius fascinatiua vis, intemperantia quædam contagiosa est, in eorum Authorum opinione, venefica atque inficiens, & huius virtutis actus, proinde per illos *fascinum* est, quia ipsi, mala fascinantis voluntas, accedit, ex quo duo absurda inferre licet. Primum rationem subtilis Vallesij, in illos concludere. Quia qui alterum peste inficeret, si id mala voluntate accideret fascino infecisse diceretur. Secundum, quia id non metaphoricè, aut translatitiè, vt ipsi contendunt, ille actus diceretur fascinum, sed sua proprietate, & rigorosè, quo quid inanius? Et ipsi tale negarunt semper, ergo non licet iam fascini nomine vti, sed neque abuti, ni mauis barbara ac stulta catachresi, dura, ac vulgari locutione vti? Multum sanè pessima morum conditio animos 23.

H irrepsit,

irrepsit, nec verbum quidem vulgus profanum audiat, errandi causa, recedant vetera. *Nunc hic dies aliam vitam adfert, alios mores postulat.* Vt in Andr. prædixit Terentius, quam cordatè Sennertus lib. 6. tom. 3. p. 9. cap. 1. scripsit. *Et qui superstitionem aliquam è vulgi animis eruere vult, nec nomen retinere debet.*

24. His satis esse Fr. Raphaël de la Torre contendit vbi suprà citatus respondens sic. *Vocabulis vtendum est cum pluribus, & non consuetum est ea contagia commemorata fascinationem vocare, sed id quod per oculos transmittitur, non qualitercunque, sed humoribus putridis commotis, & spiritibus noxijs concitatis mediante aliqua animi passione, puta odio, inuidentia, & huiusmodi à qua nomen fascinationis desumpsit.* Sed non videtur satisfieri Vallesianæ obiectioni asseueranti Hippocratem, Galenumque, ac cæteros antiquissimos rei Medicæ obseruatores hanc per oculos contagionem non ignorasse, atque eam non sub fascini, sed contagij voce expressisse. Neque vt suadeo vocabulis vtendum est cum pluribus, vbi ea pluribus errandi causa sunt, quia simplices vt prænotabat venerabilis Antistes Abulensis scientes plerumque falsa, nescientes plerumque vera, ex indecenti ac superstitiosa voce ad illicita ac profana opera deueniunt. Sed iterum clamat Vallesius, suppone odium in scabioso, inuidentiam in leproso. An dices vbi alios inficiunt per oculos, fascinasse? Vel contagio affecisse? Id credam, cur ergo nomen tenaciter obseruas, vt hæc mala per oculos illata fascina voces? Sed iam te Antiquorum veneratorem, in eorum verba etiam iurasse contemplor, sed antiquior est Galenus, antiquissimus Hippocrates, iurato obsecro in ea etiam verba quæ Patres illi sapientissimi dederunt. Nec Paradoxon putes, quod nomen *fascinum* nuperis retentum de medio tollere contendam, audi Ioannem Gonosalium Primarium Theologiæ Complutensis Professorem lib. 3. Physicorum in illustratione circa 4. *Ecce* (dixit) *etsi maiorum dogmata aut deseramus aliquando, aut mordicus taxemus, non propterea magnos illos Magistros conuiciamur, qui nos pusillos ex imo solo comiter, & humanè sustulerunt. Solum fatemur multa pygmæos Gigantum leuamine vidisse, quæ nec prospexere Gigantes.* Hæc ille cordatè.

25. Neque obiicias quæ prædictus Antistes Abulensis quæst. 18. scripsit aliquid scilicet iuxta veritatem naturæ fascinari, quippè

id

id proinde affirmat, quod tibi de nomine sine contentione, consentiat, & vt consulat, ne putes vocem *fascinum* quidpiam mali, extra naturam contagij significare, atque illud non maledicæ vetulæ, sed potius docto ac cordato Medico curari tradendum. Ausculta verba. *Nos autem quanquam iuxta veritatem naturæ fidei Catholicæ, nimis consentaneam aliquid fascinari interdum asseramus, illud tamen curandum vetularum Maledicarum cæremonijs, aut verbis non tribuimus, sed hoc potius abhorremus; illud Medicorum operi, vt cæteras ægritudines, aut diuturno tempori sanandum relinquentes.* En prudens Antistes tibi contentiosus de voce esse neglexit; permittens bene, vt aliquid fascinarì, interdum dicetur, sed intelligendum rigorosè infectionem aut contagium esse quod sub Medicinæ opera existat, non sub fallacis, ac malignæ vetulæ ceremoniis, philtris, aut incantationibus vt plerique vulgi maximopere exoptant, & contendunt. Id ergò Abulensis sua ætate de voce *fascinum* præmisit. Sed hac nostra maiori malignantium vetularum caterua scatente, in qua largiori fallacia *fascinum* mentes omnium occupat, non credam Antistes tale proferret, ergò nec verbum quidem (iterum ex Delrio repetam) vulgus audiet errandi causa, parcant rogo contrarium asseuerantes, quippè vt Iuuenalis Satyra prima intonuit.

Nihil erit vlterius quod nostris moribus addat
Posteritas: eadem capient faciéntque minores
Omne in præcipiti vitium stetit.

Conclusio probatur; reyciuntur omnia fascinatiua agentia.

Hac ergo locutione expulsa fascini naturalis, impossibilitatem sic probo: fascinum vel est infectio oculis illata, vel verbis vel vtrisque simul, cum quadã maligna animi affectione, (quod dubio 1. ex nominis origine deduxi) sed prædictam infectionem verbis fieri impossibile esse per naturam dubio anteriori comprobatum misi: sed neque maligna animi affectio extra proprium subiectum quidpiam potest operari, vt millies suprà manet conclusum. Imò neque proprium subiectum immediatè 26.

valet alterare, sed media vt audisti spirituum,& humorum commotione,ex ipsis substantiis alteratis,proprium illicò corpus qualificante, sic suprà sentiebat Angelicus Præceptor & cum eo Magister fr.Raphael de la Torre vbi suprà disput. 5. atque in hoc sensu alienum etiam subiectum possunt alterare, vt idem sanctus demonstrat loco primæ partis citato, & ibidem Caietanus. Neque hoc Galenum nostrum præteriit,docuit passim,præcipuè lib. de causis morborum cap. 2. 1. de different.febr.cap. 3. & libello ipsi adscripto de incant. adiurat. & suspens. cap. 1. quodque expressit Complutensis Carrerus, super fen. 1. 1. disput. 37. c. 1. & non pauci nostratum. Ergò imaginationis vi immediatè nullum subiectorum alteratur, neque proprium cui ea insidet, nedum externum à quo dissidet tantum. Valet ergò proprium mouere media spirituum alteratione, his ergò alteratis calore aut putredine aut alia corruptione externum inficere valebunt, atque sic alium hominem contagio afficere,*fascinum* ergò ex vi verborum, aut imaginationis immediatè in alia subiecta immissum, omnimodam habet impossibilitatem naturalem, super quo iterum recolito quæ dubio 3. scripta latius inuenies.

Platonicorum sententia de operatione visus ad extra refellitur; vnde & fascinum per illum operatum.

27. SVperest excludam potentiam visiuam è fascinantium caterua: vnum si quidem erat eorum agentium quibus tanquam Achilli altero fascinandi robur tribuebatur, sed antiqua lis fuit, inter Platonicos,& Peripateticos nondum nostro sæculo sedata. Vtrùm scilicet visio sensatio sit alicuius extramissione elicita, an verò intus sumptione operata. Vtrumque amplexatur Vallesius in Platonis & Galeni fauorem 2. Contr. c. 30. pro Platone verò extat singularis assecla Marsilius Ficinus vbi suprà orat. 7. c. 4. qui ex eisdem principiis quæ de visu ex Plutarcho suprà adducebam dub. . à num 6. fundamentum desumpsit ad firmandum *fascinum* opus esse à corde dimanans, eiusque præsentem statum, ac conditionem, visorios, ac lucidos spiritus (dulces ipse vocat) in obiecta

iecta deferre,quia velut cor mundi sol scilicet suo motu, lumen sublunaribus, perque ipsum lumen,suas illis virtutes demittit;sic microcosmi sol, cor intellige, suo perpetuo motu spiritus in vniuersũ corpus pérque ipsos,nescio quas virtutes(scintillas ipse nominat)diffundit,atque in vniuersa membra distribuit Inesse autẽ oculis cerebróque lumen aliquod, probat primò ex animalibus quæ noctiluca dicuntur. Probat secundò, ex lumine in nobis experto, vbi oculorum angulos, certo quodammodo fricamus, contorquemúsque. Probat denique exemplo Augusti Cæsaris cuius fama extat oculos claros, nitidósque adeò habuisse, vt si acriter quempiam intueretur,illum (quasi solem facie ad faciem aspexisset) velut obcæcatum ad oculorum velamen illicò cogebat. Id quod de Tyberio etiam latum profert, imò & hunc Imperatorem prægrandi oculorum forma donatum, etiam in obscuro obiecta proximiora visisse, at ista, nisi lumine natiuo oculi nostri fruerentur, fieri per naturam nequirent.

Contendit deinde Marsilius hoc lumen oculis extramissum 28. vaporem spiritualem secum trahere (sic ille loquitur) probátque ex lippientibus, qui oculos quos etiam vident lippitudine corripiunt, ergò quia simul cum radio visuali vapor lippientis in infectum oculum protruditur. Confirmat idem vulgatissimo illo Aristotelis experimento non semel repetito de muliere menstruata speculum bubinante,cuius euentûs eandem rationem esse cum præmissa astruit? Sed quid iam dices, (inde intulit) ad fascinum vi potentiæ visiuæ constituendum? Audi lumen illud (inquit) quod ab oculis in obiecta expiratur, secum fert vaporem illum spiritualem in corde genitum, cordisque conditione, animíque affectu sigillatum, qui quidem vbi ad hominem peruenit, eius cor tanquam optatum centrum subit, crassescit ibi, ipsum vulnerat, in sanguinemque versus, fit peregrinus ac extraneus saucio cordi, indéque illud inficit, sanguinem conspurcat, atque hominem fascinatum relinquit. Quid vlterius? quod scilicet facilius senes ab adolescentibus fascinentur,quam è contrà. Ratio eius est, quia cum vapor ille spirituosus ex oculis senum in adolescentes emissus frigidus torpénsque sit, pigrè ad adolescentum cor peruenit ac nisi illud mollissimum sit,vix commoueri valet: at puerorum aut adolescentum vapor, cum cali-

dus sit viuax, actiuior, facile senilia viscera permeat, cor ingreditur, alterat, ac incitat.

29. Conclusit demum sic. *Hæc ideò leuis fascinatio est, illa verò grauissima per quam iunior transfigit præcordia senioris* vidisti commentum Ficini, & si pluribus huius census intendis, illum commentarium addito vbi non pauca leges, quæ potiùs Poëtis quàm Philosophis effingendi ansam præbeant, isthæc solum referre placuit quo habeas inde quo potissimùm fundamento Platonici nitantur ad fascini existentiam comprobandam, & prætereà quæ mox in Marsilianos obiiciam, hic philosophandi modus non solùm antiquatus sed improbabilis omnibus modis est: quisnam obsecro contra Aristotelem putabit visionem extramissione radij illius ad vsquè obiecta operari. Vnde nam radius ille, adeò velox qui ictu oculi ad Astra, vsque conscendit? quæ vis illum, tam longè, vel tulit, vel expulit? quæ illum à tot tantisque, aëris ambientis iniuriis reseruauit? sed qui voluerit huius commenti exactam confutationem habere, adeat inter alios Doctissimum Complutensem Carrerum vbi inferius citandum. Mihi verò contra Ficinum si semel eius sententia attenta mente pensetur, nihil laboris, aut curæ est, cum ipse apertè fateatur vaporem illum sanguineum, cor fascinatum, medio radio visuali, ingredientem more lippientium, menstruatarúmque inficere. Sed si hoc verum contagium erit, vt suprà notaui, & infrà repetam, neque inficias ibo. Dummodo, vt ex ipso constat, visioni ipsissimæ fascinatio non tribuatur, quod sine ratione diceretur, namque ille fascinatoriam vim radio illi visorio (detur bene si placet) non attribuit, sed vapori venefico ab illo secum delato, quod vera contagio est, sicque debet vocitari.

30. Obiter tamen à Marsilio quædam rogarem. Primum, vtrùm radius ille visualis, substantia lumine affecta, an lumen solum sit? hoc non dicet, cum accidentis esse naturaliter sit inesse, sed si est substantia lucida quonammodo vapores illos secum vsque ad obiecti cor defert? an sibi vnitos? id non, quia vnio illa fine caret, neque per naturam supposita aliqua vniri poterunt, impulsu ergò illos feret. Sed vnde obsecro, virtus illa impellens in radio visuali? ad quid vlterius? an à natura? intendet ergò malum speciei? an ad perdendum humanum cor? caret ergò finis, ratione illa *boni*

quam

quam vniuersa agentia habere in operando vniuersi Philosophi fatentur? ad rem intimius etiam ab illo peterem, vtrùm vapor ille sanguineus(qui ad obiecta distantia occulto aliquo genio seruatus incolumis accedit) substantia fuerit temperata,salubrisque fascinanti, si affirmatiuè respondeat. Ergò (dicam) pertingens ipsa cor inspecti hominis illud sauciare nequibit, cum temperata,ac salubris sit,aut si talis, cur à natura ita frequenter pellitur, quæ sola disconuenientia debet expellere;at si illa spirituosa substantia morbosa, contagiosave sit, fascinare,ac perdere proprium subiectum, anteà potuisset,quemadmodum suprà dub. 2. n. 8. de Eutelide historia Patrocleas, apud Plutarchum retulit.

Deinde expellatur benè lumen illud ad visionem operandam, 31.
iam hic erat naturæ finis,sed in illa substantia expellenda, vsque ad obiectum, quem finem habet natura? Imò in ea gignenda, quem? Dedit viperæ natura virosam illam dentibus latentem substantiam, quia illi necessaria, dedit homini saliuam, necessarium hoc speciei, & indiuiduis fuit, quia nihil in natura sine natura,vt Hippocrates docuit, spiritum etiam illum in corde humano produxit (id Ficino gratis detur,) vt instrumentum sit commodum suos affectus in obiecta demonstrandi, præter visionis vsum, qui naturalis ac præcipuus eius finis est. At si status fascinantis naturalis est,ac simpliciter sanus, vaporosa illa substantia, alterco, & cicuta nocentior, quo iure à natura producetur? qua de causa? quo fine? vel si naturæ ordo est. Cur vni tantum aut alteri? quod enim speciei proprium est, omni debet indiuiduo conuenire Soli & semper; sed quemadmodum positio illa spiritus ad cor extraneum peruenientis,gratiosa existit, nulla ratione nitens,sic delatio etiam illorum vaporum Platonicum commentum sapit namque ille spiritus cor extraneum attingens, quam speciem obsecro eius,qui illum immisit in cogitatiua sauciati producit, qua mediante sub ratione prouenientis amabilis, ille, qui damnum amorosum intulit, expeteretur. An valuit ille vapor necessitatem appetitui aut voluntati inducere, qua sauciatis ferientem amore prosequatur, velit,nolit? at dictio hæc Marsilij metamorphosim Nasonis sectatur? Et quam vana figmentoque hærens fuerit, neminem puto Peripateticorum latebit.

Alij Platonis sectatores fascinum *in eius sententia de potentia visiua, admittentes conuincuntur.*

32. VEnio ad alios Platonicos cogitantes scilicet visionem emissione virtutis visiuæ(radium aut lumen Marsilius modò vocabat) vsque ad obiecta fieri, eiusque præcisè ratione fascinationem contingere: fiat benè sic visio. At eo casu quandocunque fascinans intueretur, fascinaret. Patet, quia ipsa visio per te venefica vi insignitur, adeò illi naturalis, vt visum & fascinatum esse idem sonet. Dices potentiam visiuam talem esse per se velut & ipsam visionem, at fascinatoriam per accidens, quemadmodum calor calfactiuus est per se, sed resolutiuus per accidens, ratione scilicet maioris, aut minoris resistentiæ subiecti, idem ergò intelligi de visione potest, vt specierum visibilium comprehensiua per se sit, obiectorum verò nociua per accidens, secundum quod intellige, plus minúsve obiecta resistitiua fuerint: Tamen contrà est. Quia quamuis calor actu omne subiectum non resoluat, quia hoc vel illud obsistat, nihilominus intrinsecè, & essentialiter resolutiuus erit. Ergò etiamsi actio visoria fascinantis aliquod subiectum, quia indispositum, non lædat, non proinde intrinsecè & essentialiter fascinatrix non erit. Quid illinc deduci putas? Prædictam potentiam, crede, à cæteris differre specie. Quia specie differunt, quæ prædicato essentiali differunt, recolito quæ suprà dub. 3. à numero 7. ex Angelico Præceptore notaui. Deinde per istos fascinum ex vi accidit visionis naturalis in obiecto operante, ergò nequibit visio esse fascinatio eius cuius non fuit visio, sed non fuit visio cordis humani, ergò nequibit ipsum sauciare, cum ipsum visio non attigerit. Dicunt visionem læsisse partes obiecti extimas, atque istæ animas, vsque ad cor, sed infero iam visionem quomodo illam ponunt, fascinum haud operari. Non attingitur visione cor, non ergo inficietur visione. Demum illud fascinari par est per vos quod emissa visione pertingitur, sed hac neque obiecti substantiam, neque eius temperiem intuentur, in

quo

quo ergò virus operabitur ? In colore reddent, quia hic solus visionem terminat, at in his refellendis, non est quod tempus teratur.

Exponitur Vallesius atque ab inconsequentia liberatur.

SEd cùm subtilis Vallesius eorum sit qui fascinum pleno ore reprobarunt, antequam hinc dimouear, illum licet à quadam contradictione liberare, quam in sua lectione quidam Neothericus suscitauit. Illo opere de morbis in sacris literis nuper edito cap. 23. putauit Vallesius fascinum in natura non esse ex vi potentiæ visiuæ, quia huius actio extra potentiam ipsam non extat. Putauit ille author visionem in Vallesij opinione, extramissione vsque ad obiectum fieri, vnde in ea sententia posset dici, tum fascinum visione procedere, tum etiam Vallesium inconstantiæ conuinci posse, qui visionem actionem immanentem esse cap. 3. 2. contr. putauit. Sed illa de visione sententia falsò imponitur Vallesio. Ipse quippè vt & Carrerus notauit, haud dixit: Visionem emissione alicuius *vsque ad obiectum* fieri, sed solum vim visoriam vsque ad spatij medium; seu medij certum spatium immitti, verba sunt. *Cæterum hoc interest quod species necesse est ab obiecto colore vsque ad oculum peruenire, vim verò videndi non necesse est rem videndam attingere.* Vnde constat nusquam potuisse ex Vallesij opinione de visione, fascinum deduci, cum expresè ille opinetur, obiectorum species ipsissimo cristallino humori, aut pupillæ inhærere necessariò pro visione operanda, quod si putauit ibidem facultatem visoriam extramitti, id opinatus est, quo venerandam nostri Galeni sententiam tueretur, fassusque est illam extramissionem non pro visione fieri, sed pro distantia obiecti atque eius magnitudine dimetienda, quem actum à visione multum diuersum iudicauit. Ergo ex his constat quantum ad visionem ipsam attinet in Vallesij doctrina nullum adinueniri fundamentum posse, ad *fascini* quod negarat probationem, quamuis (vt verum fatear) illa de extramissione facultatis visoriæ ad obiectum vsque pro dimetienda distantia 33.

aut magnitudine eius opinio, perscrutatione attenta digna sit, de qua suo loco. Sufficiat nunc in hoc assertum Vallesij expendisse illam emissionem facultatis pro illo fine relato difficultate non carere, cum videamus Astrorum quantitatem aliquam & distantiam à terra quam habent, quamuis circa certam vtriusque mensuram decipiamur. Ergò tenetur Vallesius dicere aliquam facultatis visoriæ intensionem ad Astra pertingere, quod affirmare non audebit: ergo si nihil virtutis visiuæ in tam longo spatio Astra non contingit, & tamen eorum quantitatem, & à nobis distantiam quamuis confusè videmus, argumentum erit demonstrans obiectorum quantitatem & distantiam videri optimè, sine eo quod ad illam assequendam facultas, in illum finem à natura diffundatur, præter quam quod locus & magnitudo communia sensibilia sunt, quæ sine propriis sentiri nequeunt. Sed ad hæc non extramittitur potentia, ergò neque ad illa.

De Platonis sententia adhuc admissa opinione altera fascinum *ex ea fieri non posse probatur.*

34. NOn desunt alij (aliter Platonem insequentes) qui vellent virtutem visiuam non ad obiectum ipsum sed ad spatij medium tantummodo peruenire, adiunctamque cum obiecti speciebus illuc vsque adeò emissis quasi amico consortio iterum ambæ ad oculos redeant, vbi fatentur visionem fieri? Hanc sententiam retulit, & refellit Vallesius, vbi suprà explositque doctissimus Çarrerus. Sed demus his sic visionem fieri. Constat verò manifestè prædictam facultatem visoriam obiectum fascinare nequire, vtpote quod illud aliquo modo non attingat. Debet siquidem omne agens passum contingere aut per se aut per suam virtutem. Dicent illi species in spatio inuentas infici à visoria facultate illic perueniente illæque infectæ cæteras conspurcabunt, vsque ad obiectum. Sed contrà est, quia species visibiles in probabiliori sententia qualitates quædam sunt obiecti repræsentatiuæ, sed qualitates nunquam sunt susceptiuæ alterationum.

Quis

Quis enim dicet calorem, aliquando albedinem aut nigredinem recepisse? Cum hoc munus in natura materiæ primæ aut totius compositi, in omni Philosophorum opinione sit. Sed si opinentur species substantias quasdam esse illasque virtute visiua infectas, cæteras quasi retro gradu vsque ad originem inficere. Contrà est, quia iam illa infectio obiecti ex vi visionis non erit, quod illi contendunt. Quia profitentur ipsi oculum visionis instrumentum esse. Addo posse in hoc dicendi modo affirmari imò debere visiuam virtutem fascinare obiecta quæ non intuetur, ratio est clara, quia obiecta omnia per totum spatium, more naturalium agentium species diffundunt. Vnde illud obiectum quod indirectè oculis opponitur, spatio illi ad quod visiua virtus per illos peruenit, species etiam immittet, quæ à visoria virtute infectæ eodem modo obiectum suum lædent, quo quæ directè existunt suum etiam lædunt, hoc autem sine fundamento affirmari manifestò constare arbitror.

In Aristotelis probabiliori opinione de modo quo visus operatur fascinum *locum non habere astruitur.*

SI verò cum Philosophorum primo Paripateticus contendis visionem receptione specierum in potentia fieri, vt est probabilior sententia, & Aristoteles adstruit lib. de sensu & sensibili 2. de anima cap. 5. textu 51. & cap. 1. 2. & 3. eiusdem operis cap. 12. cum sentire quoddam pati sit apud ipsum lib. 7. Physicorum c. 2. textu 12. ergò ex vi potentiæ visiuæ impossibile est per naturam aliquem effectum in obiecta pelli, aut ex vi visionis produci, cum talis potentia nihil ad extra operetur. Deinde quia vel putas potentiam visiuam aliam esse ab anima vel non; si hoc, ergò anima ipsa spiritualis incapax omnino extraneæ alterationis sua interna vi & essentia aut se ipsa effascinatiua est. Ergò tunc quoque cæteræ rationales animæ hac ipsa radice debent pollere. Quomodo ergò non *fascinamus* omnes, aut non fascinamur, si in anima habemus fascinandi, ac fascinari fomitem? Dices fascinantis formam ea vi pollere ex se, disponi verò ac 35.

actuari à peculiari temperamento oculorum,tanquam à peculiari dispositione ; tamen contra est. Quia iam concedis omnem animam rationalem fascinatiuam esse, quod est ridiculum, imò naturæ iniuriosum, & contra te,qui alicui hominum solùm hanc luem concedis. Deinde affirmare debes,illud temperamentum. quod animam in oculis disponit ac præparat ad fascinum operandum,naturale illi homini esse,at fascinato, præternaturale, ac disconueniens. Huius asserti verò improbabilitas sequenti sexta ratione patebit. Quibus eisdem rationibus conuinceris,si profitearis potentiam visiuam (quod probabile est) distinctam esse ab anima. Neque dicas potentiam visiuam ab anima habere fascinatiuam esse, quippè probatum extat illud animæ nostræ repugnare : quomodo ergò instrumentum virtutem agendi desumet à principali causa quæ tali virtute caret ? Si verò velis fascinum non à visoria virtute neque ab anima, sed à solo oculi temperamento peculiari prouenire,acquiescam dictis dummodò mecum habeas illud temperamentum fascinanti naturale non esse,atque more venenorum, aut maligni morbi inficere, quod *contagium dicito,contagium, non fascinum.*

36. Vlterius si fascinaret quoduis relatorum agentium, more agentium naturalium fascinaret, quod esset necessario. Ergò non pro inuidæ imaginationis imperio, quod aduersarij supra contendebant. Præterea illa actio esset transiens, vtpote omnes quæ operantur in externa materia transeuntes sunt. Sed visio actio immanens est, vt ipsi cum Aristotele fatentur, quia ipsi potentiæ visiuæ (vt reliquæ sensitiuæ) insidet, implicat ergò fiat visione fascinum. Age iam, potentia visiua suimet speciem non mittit, vel si id contendas, commentum erit inexpertum ; sed illa species si daretur solùm esset sui obiecti repræsentatiua, neque aliquo modo operaretur, cùm visibilia omnia præter sui speciem nullum alterum effectum in oculo vidente operentur. Sed dices etiam luem veneficam producere. Contrà est, quia species illud virus à potentia necessariò accepisset cuius est imago, sed iam proximè probatum manet potentiam visiuam nequire tali veneno per naturam conspurcari ? Ergò si neque à visoria virtute, qua tali, neque ab actione quia immanens sit, neque ab specie quæ obiectum solum habet repræsentare ; fascinum nequit,

quit prouenire, ipsum vndequaque implicare, vanámque & irreligiosam opinionem arguere, nullus erit qui inficias eat.

Vrgentius deinde meum assertum comprobabo, quia si homo in hominem naturali polleret veneno ex quauis sui parte eiaculatum, iam homo hominem sanus existens venenaret, non aliter quàm illum Phalanx, aut vipera mortifera virosa lue perdere experimur, sed hoc omni obstat rationi naturali, suppositumque tanquam certissimum reliquit Galenus lib de inæquali intemperie c. 6. ausculta verba; *at non homo hominem morsu interimit, neque vipera viperam, neque aspis aspidem, siquidem quod simile est id cõgruum amicumque est, quod contrarium est inimicum, ac noxium: augetur enim quidque, ac nutritur à similibus; perimitur ac corrumpitur contrarijs.* ô pulchra verba! & quæ prægrandem continent medicinam. Repugnat ergò omni naturæ ordini venenum, quod inficere simile in specie valeat. Repugnat ergò & potiori iure homini venenum naturale, alteri homini pernicies; repugnat ergo fascinum inter homines. Est quippè homo animal politicum rationis & iustitiæ capax, amico cæterorum consortio natus, omnibus supremus animantibus, perfectissima omnium forma constructus, cuius conuersatio adhuc diuinæ naturæ delicia chara est. (Philantropos Græci illam vocarunt id est nostram naturam amore prosequentem) in cuius scopum mirabilis, & admirabilis huius mundi machina, fuit operata, & qui ad ipsissimam (quid moror dicere) Creatoris imaginem fuit formatus. Cur ergò credas? ipsi natiuum adesse posse venenum, aliorum hominum respectu si imperfectissima adhuc animantia hoc gaudent priuilegio, vt in nullum aliud eiusdem speciei proprium habeant virus, quia quod simile est, id congruum, amicúmque est, quod idem ipse Galenus insinuarat lib. 3. simplicium cap. 6. suasitque prudenter Frater Raphael de la Torre, vbi sæpè citatus. 37.

Firmatur hæc Galeni sententia atque quædam eius impugnatio refellitur.

NOn desunt tamen, qui prædictam Galeni veritatem atque oculatissimam experientiam, obscurare contendant, quorum vnus & præcipuus Ioannes Ildephonsus suprà citatus extat 38.

fol. mihi 186. cum quo liceat mihi per cæteros parumper immorari, sic ille scribit. *Verdad es que esto affirma Galeno, contra loqual pareze que prueuan las experiencias referidas.* Sic præscripserat. *Pues que dira quien esto dize a lo que passa entre cierta especie de lagartos ponçoñosos losquales mordiendose vno al otro, el que se siente empoçoñado por las mordeduras del otro segun se puede colegir de lo que passa, va, y se refriega fuertemente en el cardo que llaman corredor asta que queda casi deshinchado, y como euacuado y libre del veneno que reciuiò del otro, y buelue de nueuo a la batalla.* Deinde inferius contra prædictam Galeni assertionem sic arguit. *Quanto a lo segundo tiene difficultad que diga Galeno, que no mata vna viuora à otra con su veneno aunque la muerda: pues el enseña y todos con el que en la caueza, ò vexiguillas de la lengua, y cola tiene la viuora el veneno, de manera que las partes del medio cuerpo de tal suerte las declara por libres de veneno, que no solo preparadas dize ser buenas para muchas enfermedades sino absolutamente, y de su natural templanza, ser inducidoras de salud. Lean el cap. 9. del libro* de Theriaca ad Pisonem *hallaran, que dize* viperæ caro habet virtutem natiuam ad salutem. *Pues agamos agora el argumento en buena Philosophia, estas partes no tienen veneno, luego estan en potencia para reciuirlo, muerda pues, ò pique la viuora en las partes de otra, y arroxe alli de su veneno y ponçoña, que razon ay en Philosophia que conuenza à que no las altere, y venga à morir vna viuora enponçoñada mucho de otra, en las partes que no tiene veneno. Gal. en el 3. de las templanzas c. 4. dize.* Omnino enim duo corpora inter se commixta multo tempore pugnant, certántque inuicē de alterando vtrumque eorū tum agere, tum pati est necesse. *Biē podrà luego acontezer que mordiendose dos viuoras segun estas partes, aunque sean de vna especie, y mantenidas con vnos mismos mātenimientos, y viuan en vnos mismos lugares, y se engendren de vna misma manera se maten.* Intendit proximè firmare assumptum, & infirmare Galenianum, *y si valen* (dixit) *por testigos exemplos, y historias que creo tienen harta fuerza en esta faculdad, podre dezir con verdad auer oydo affirmar à personas hōradas, que a caso yendo a cassa en tierra de Butrago vieron trauada vna gran riña entre dos viuoras, y que mirando (aunque no con poco miedo) estuuieron aguardando el fin de la batalla, y vieron que no à mucho rato quedaron muertas entrambas, sin alcanzar à ver si tenian*

heridas

heridas conocidas ò no. &c. statim. *Y que voluiendo otro dia por alli mirando con atencion no las pizassen los cauallos, las vieron tan hinchadas como suelen ponerse los cuerpos de aquellos animales, à quienes ellas mordiendo emponçoñan.*

Quod si præmissis dicas argumentis partes vnius, aut plurium animalium eiusdem speciei similes quidem esse, at simile non agit in simile, obiicit prædictus Complutensis. *No vale pues lo son la vexiga de la hiel, y tripas en el hombre, y detenida la colera en la vexiga de la hiel no la vlcera, y detenida en las tripas las vlcera destempla, y ayuda à gran daño en las demas partes, como se ve en los ictericiados de mucho tiempo, y esto en vn mismo cuerpo, solo porque estan en potencia las otras partes à aquella immutacion luego en differentes, como en el de dos viuoras, porque luego no alterarà, y immutarà el veneno reciuido de las vexiguillas, donde dicen le tiene la carne de la otra que no tiene cosa de tal cosa.* En huius Complutensis docti aliàs omne ad summam iudicium contra Galeni decretum quod ad verbum transcribere placuit. Quia quosdam audierim in eius solutione summopere hæsitantes, affirmantésque proinde, viperæ partes venenum alterius non recipere, quia ipsæ negatæ sua natura sunt illud recipiendi. Ratio eorum est quia venenum viperæ proximius est ipsiusmet partibus quam alterius. sed proprias non inficit, ergò quia talis infectionis sunt incapaces. Videtur tamen insufficiens responsio, quia pars illa viperæ quæ veneno pollet, (sit bene dens aut lingua, sit cauda) partibus eiusdem rationis essentialis cum cæteris gaudet, ergò pars materiæ,& formæ aliarum partium corporis, non obsistent infectioni,quia eadem est cuiusuis partis ratio,quantum ad venenum respectu materiæ & formæ. 39.

Deinde neque temperamentum aliarum partium veneni receptioni obsistet, quia temperies partium eò resistentiam habet, quo destructio formæ quam in materia seruat imminet, & in quantum qualitas recipienda incompossibilitatem cum præexistenti forma habet. Sed neque hoc dici potest, quia cùm ipso veneno de facto in partibus vbi latet conseruatur forma. Ergò abs iure negatam reddunt materiam recipiendi, quod actu recipi in ea, experientia constat. Dixerunt illi inde sequi viperam semet infecturam & interfecturam id verè est quod contra Galenum 40.

lenum Complutensis contendit, & contra eos efficaciter conuincit quod viperæ corpus omnis expers veneni iudicant, quod aliter dicendum vt constabit pòst; & iterum ex illorum sententia, sic pro eodem Complutensi arguo. Materia prima est ad omnes generationes apta successiuè saltem expectato naturæ ordine, ergò & ad omnes alterationes, sequela est Philosophi 1. de generatione, qui omnem alterationem, propter generationem esse supponit, ergò ad alterationem veneni ex partibus vbi viget. Deinde venenum illud viperæ alteratione agit in materia. ergò propter alicuius formæ substantialis generationem; sit ista cadaueris, sed ad istam prompta est materia prima viperæ, ergò & ad veneni alterationem, quippè qui finem amat, mediis non obstat; appetunt partes materiæ viperæ quæ veneno per istos carent, cadaueris formam, ergò in virus propendent; ipsum recipere sunt aptæ, quia medium ad illam sit, & media eius alteratione de potentia materiæ forma illa cadaueris educi debeat. Denique vrgeo pro hac parte, veneficus ille succus in dente viperino genitus, vel excrementitius illi est, vel substantia naturalis in aliquem finem naturæ illi serpenti conueniens. Si primum, vrgent præmissæ rationes. Si secundum, ergò quemadmodum in nobis substantiæ naturales in partibus principibus genitæ reliquas partes alterant, vt constat de iecoris sanguine, de cordis vitali spiritu, de animali in cerebro, sic viperæ dens vim illam illi salubrem (nobis tamen lethiferam) in cæteras partes distribuet. Ipsæque illam recipient poteruntque ab illa alterari. Ergò Complutensis ratio non videtur leui innixa fundamento, contra illud Galeni, in fauorémque fascini, quod ex eius authoritate à naturæ ordine exploditur.

41. Ante tamen quam statutam Galeni in præmisso loco veritatem in gratiam Complutensis demonstrem, huius placet lapsum commonstrare, vt quo telo vulnus infert, eodem & patiatur. Opinatur sapientissimus Doctor, dari fascinum naturale. Obiecit sibi Galeni assertum, *at non homo hominem morsu interimit*, quasi diceret, homo naturali veneno, in alios natura non gaudet, vnde vnum fascinare alterum nefas est abs dubio affirmare in Galeni doctrina. Sed respondet Complutensis. *Cierto es que habla del hombre quando esta, en su estado natural.* Ergò homo in statu naturali,

naturali, & salubri, alterum fascino perdere non potest per Complutensem. Ergò quando fascinum inter homines venire fatetur; de fascinantis statu præternaturali, & morboso loquitur Complutensis. Sed in hoc infectionis genere medicè conueniemus, erit ergo tunc *contagium* verum quod supra num. 21. & 22. monstrabam: neque quidquam in Galeni sententiam detrimenti attulit argumentum superius, cum relatis experientiis, potius quidem miror medicum sua & nostra ætate doctum prædictam sententiam aliquali caligine legisse. Opinor itaque illam (si quæ alia in Pergameni lectione) verissimam existere, neque profectò vel leuissima hucusque fuit experientia, quæ hominem virosa lue natura, naturalique alterum infecisse animaduerteret, cuius fundamentum naturalissimum est, quia quod simile est id congruum, amicumque est. Velut quod dissimile, aut contrarium inimicum, ac noxium, vbi per simile aut dissimile, amicum, aut contrarium Galenus non intelligit similitudinem aut dissimilitudinem respectu aliquorum accidentium, sed respectu propriæ speciei, vt latiùs postmodũ expendetur: neque intelligi debet dissimilitudo, aut indiuidualis contrarietas, quia hæc omnium ore, nunquam fuit agendi principium. Ergò inter homines dum sua quisque fruitur sanitate, nullam licet contrarietatem virosam fateri.

Præter hæc, actio ex inæqualitate inter agens & patiens oritur, simile namque non agit in simile, quia quantumuis duo homines sanitate fruentes inter se mediis temperamentis aut distent, aut pugnent, nusquam alter necem alterius operabitur, ratio est, quia formæ rationalis temperies conseruatiua indiuisibilitatem excludit, cum sicut forma Ioannis conseruatur hoc temperamento, ita & forma Petri conseruaretur cum ipso, nam quod huic est naturale, alteri eiusdem speciei nequit esse morbosum (super quo latiùs à numero primo erit sermo.) Ergò bene ex ipsissima veriori Philosophia docuit Galenus hominem natiuo veneno alterum non inficere, & propter eam rationem idem de vipera aliisque virosis animalibus venit confitendum. Quia animal quod alterum eiusdem speciei alterat, quo fine obsecro alterat? Vt assimilet sibi passum qui est vltimus ac communissimus, omnium agentium naturalium finis. Sed quomodo assimilabit quod simile omninò ipsimet est ami- 42.

cum, ac congruum? Assertum ergò Galeni grandiori radice nititur, quàm vt possit à veritate detruncari. Sed si Complutensis de homine in statu salubri id concedit, cur illud viperæ respectu alterius, atque aspidi alterius etiam ratione placet denegare, eadem quippè est hominis, ac viperæ, aut aspidis ratio respectu propriæ speciei.

Refellitur opinio affirmantium temperamentum naturale vnius hominis præternaturale esse alteri.

43. SEd contrà fundamentum huius Galeni sententiæ, quod in eius defensionem adduxi, temperamentum scilicet quod cuipiam indiuiduo est salubre (idem sentio de peculiari aliqua naturali qualitate) nequire alteri eiusdem speciei esse disconueniens, aut morbosum, extant Carthaginensis vbi sæpè cap. 7. Complutensis Garcia Carrerus disput. 6. de loc. c. 1. & fen. 1. 1. disput. 9. cap. 3. eius fidus assecla Benedictus Vasquius Matam. lib. 1. select. disput. de feb. tract. 1. disput. 2. num. 5. & 6. & disput. 6. à num. 18. ad 22. quos alij sequuntur, putantes temperamentum aliquod quod Ioanni salubre sit, si in Petro poneretur, debere esse illi morbosum, quorum potissima ratio est, quia temperamentum, eiusque qualitates primæ, aut secundæ à formis substantialibus expetuntur, secundum earum diuersam perfectionem indiuidualem, quæ quidem perfectio in Ioanne tale vel tale qualitatum compendium, pro sui tum vnione ad materiam, tum conseruatione in eadem exposcit, quale à forma Petri, quæ alterius diuersæ indiuidualis perfectionis est, nequit expeti? Quo fit vt temperamentum Ioannis ex vi eius animæ expetitum naturale ac salubre illi sit, morbosum verò ac præter naturam animæ Petri aliud diuersæ perfectionis expostulantis. Vnde concludunt prædicti Doctores, fieri posse imò deberi, quod temperamentum (seu quæuis alia naturalis qualitas) quod huic formæ pro sui perfectione indiuiduali debetur, alteri præternaturale, ac morbosum esse debeat.

44. Hæc sententia contraria rationi & Galeno semper mihi visa est,

est, eoque magis illi dissentio, quia fascino in natura concedendo non leue præstet principium: & quia deductum illud video ex opinione affirmantium animas nostras rationales, impares esse in perfectione indiuiduali; sentio itaque animas nostras spirituales (idem de materialibus eiusdem speciei intelligo) pares esse in perfectione specifica, pares etiam in indiuiduali, huc ni fallor respexit noster Hippocrates, dum altè dixit in lib. de dieta animam nostram eandem semper esse in maiori, & minori, corpus in nullo esse idem. Consulito inter alios nostrum Abbatem ad eum Hippocratis librum text. 80. Doctissimum Suarium 1. tom. Metaph. sect. 6. num. 9. & sect. 6. à num. 1. ad 5. quos insequitur noster Magister Doctor Ioannes Gonosalius Primarius Theologiæ Complutensis professor lib. 1. de generat. cap. 4. disput. vnica. quæst. 3. circa tertium & 2. de Anima cap. 3. dub. 3. qui efficaciter vt assolet, paritatem omnimodam specificam, & singularem indiuiduorum eiusdem speciei demonstrat. Ex quo deducitur, animas nostras temperiem sibi debitam in materia appetere. Sed cum temperies adeò latè pateat æquè in vnam aut alteram propendent. Et quemadmodum cum hoc temperamento, conseruatur hæc anima, quæ Ioannis est; ita & cum altero quæ animam Petri conseruat, ipsa quæ Ioannis est conseruaretur.

Sed præter rationes ab illis Doctoribus prolatas, hanc sententiam ætates videntur confirmare, depromiturque id ex Gal. 1. de sanit. tuend c. 1. quippè forma, qua nunc sum, eadem est (etiam perfectione indiuiduali) quæ in pueritia erat: Sed in hac ætate, temperamento calido, & humido fruebatur, at in senectute frigido & sicco gaudebit. Sed in pueritia illo temperamento salubriter degebat, & in senectute cum contrario salubriter etiam operabitur, ni mauis, vt probabile puto senectutis statum morbosum esse iuxta illa quæ dub. hoc n. 79. notabo, hæc nihilominus ratio militat apertè comparatione temperamentorum pueritiæ, & consistentiæ. Tunc sic, vel in his ætatibus variatur perfectio indiuidualis formæ vel non. Si primum, ergò eadem forma est perfectior & imperfectior respectu sui ipsius non perfectione accidentali, sed essentiali qualis indiuidualis est, quod est absurdum. Si secundum. Ergò forma substantialis indiuidua cuius- 45.

uis speciei, diuersis, imò diuersissimis temperamentis gaudet intra sanitatis limites. Ergò nulla peculiare temperamentum respicit sibi essentialiter debitum, quouis ergò ex sanitatem efficientibus vtetur absque noxa periculove; ergò quemadmodum temperies pueritiæ, & consistentiæ aut senectutis salubres sunt respectu eiusdem animæ quamuis diuersæ tales temperies admodum sint; ita & respectu diuersarum animarum, etiam si diuersitas temperamenti, quam in eodem subiecto experitur in diuersis subiectis poneretur, cum diuersæ temperies ætatum, quales in eodem subiecto successiuæ sunt nihil habeant intrinsecum, aut essentiale quòd illis deficeret, si in diuersis subiectis numero ponerentur, at cum illa diuersitate per ætates, salubriter operatur anima in hoc indiuiduo, ergò idem eueniret, si in diuersis illa temperierum varietas sigillatim poneretur; nequit vtique maiorem improportionem dicere temperamentum Petri, respectu temperamenti Ioannis, quam temperamentum Ioannis pueri consistentis, aut senescentis, ni malint, temperamentum calidum & siccum Petri consistentis diuersum esse specie à calido etiam & sicco Ioannis in consistentiæ ætate, quod vel gratis, vel ridiculosè affirmaretur.

46. Vlterius chylificatio ab anima Ioannis medio suo salubri temperamento in ventriculo elicita, posset ab anima Petri elici, essetque illi salubris, quemadmodum & Ioanni. Ergò & instrumentum, quo mediante illa educitur etiam salubre Petro esset. Consequentia patet, & antecedens puto notum, cum media illa actione producatur substantia sanguificari apta conueniensque nutritioni, & quæ abs dubio alimentum Petro esset, vtile & salubre: præter hæc anima hoc temperamento, salubriter chylificat, sanguificat, spiritus gignit, & nutritionem operatur, sed & altera easdemmet specie operationes, sanè altero temperamento exercet. Ergò vtrumque temperamentum sanum est Ergò cum quolibet illorum, illarum quælibet benè & salubriter se haberet: ergò anima quæuis in temperamentum, quod iustitiale dicimus, propendet, quodcumque, dummodo salubre sit expetet, neutrum exhorrescet, Ergò nequit huic esse morbosum, quod alteri salubre sit.

47. Sed dum ita sentio non debet putari inde sequi, quod si temperies,

peries, cerebri, que frigida & humida per naturam est, in corde poneretur, posset illi salubris ac naturalis existere, cum natiua cordis temperatura calore & siccitate intra sanitatis metam præpolleat, id quidem in dubium non venit. Cum constet falsum futurum quod contra affirmaretur, sed dubitamus nunc de temperie totali, & adæquata, quæ ex plurium partium nostrarum temperaturis coalescit in toto composito; vel de inadæquata & partiali duorum membrorum duplicis hominis, quæ eiusdem sunt rationis, velut duo cerebra, duplex iecur, aut cor, quæ partes determinatam qualitatum conuenientiam exoptant, at hæc conuenientia magnam maioris, aut minoris intrà sanitatis limites latitudinem habet, proinde illam temperiem quoad iustitiam nominamus. Id quod etiam philosophari licet de sanitatibus in partium conformatione, numero aut situ consistentibus: neque quando temperamenta specie differre inter se repeto, speciem logicam intelligere licet, sed medicam quæ sumitur plerumque à partis temperatæ differentia, aut ab aliqua actione, aut accidenti, sic dicimus temperamentum cordis specie differre, ab illo quod cerebri, quia Medici has particulas specie differre propter diuersa officia, ministeria, diuersasque actiones aliquando scribunt: quæ tamen partes si logicè expenderentur, cum essentia eadem ac physica, ex eadem forma substantiali prodeunte gaudeant specie differre nequibunt. Hinc etiam venit notandus Benedictus Vasquius 1. select. disput. de febr. disput. 6. num. 20. vbi affirmauit sanitates aliquas specie differre physica, quando qualitates illas constituentes specie differunt inter se: (veluti sanitas in frigiditate naturali, & sanitas in naturali calore) cum ratio formalis constitutiua sanitatis, seu sanæ dispositionis in communi commensuratio, aut proportio, aut naturalis dispositio ad actus naturales sit, quæ quidem ratio ab omnibus qualitatibus respectu subiecti proportionatis, æqualiter participatur. Vnde sanitas in temperie si rigorosè & physicè expendatur species infima erit. Cuius genus complexio in communi erit. Sentio itaque vt ad pensum redeam, quoduis temperamentum quod vni hominum sit salubre, cuicunque etiam tale futurum, quia vtriusque anima eiusdem naturæ, & conditionis essentialis intrinsecæ sit & quoduis temperamentum naturale iustitiale respiciat, tan-

quam instrumentum conueniens & proportionatum ad ipsius animæ in materia conseruationem, & salubrem indiuiduo operam, omnium radix esto: quia vt Galen. vbi proximè notauit dispositio salubris qua forma viuentis indiget, & quam temperamentum iustitiale vocamus, indiuisibilis non est, sed potius cum quadam latitudine: atque quemadmodum album, vt vnum album est, & quod vt duo etiam est album, ita forma cum dispositione temperata, vt vnum salubriter se habet, salubriterque etiam cum temperata vt duo se habebit, & è contrà; tanta quippè est sanitatis latitudo: dabit Deus hæc fusius suo loco discutiantur, consulito interim Galenum lib. de constit. art. medicæ c. 10. & de opt. corp. constit c. 3.

48. Extrà rationem ergò videtur affirmare, quod si forma vnius hominis, quæ ex eius temperamenti iustitiali virtute salubriter operatur, in alterius materia poneretur alio temperamento naturali disposita, vel non conseruaretur ibidem, vel morbosè ageret, quod quàm falsum esse debeat præter ætatum exemplum superius notatum, alimentorum aut Regionum mutationes, quas sæpè innocuè experimur, videntur demonstrare. Quibus ratio accedit ex qua id vlteriùs confirmetur: quia maior extat improportio inter temperamenta indiuiduorum diuersæ speciei, quàm inter ea quæ sunt eiusdem, sed temperies indiuidua leonis, esset Socrati disconueniens, ac morbosa, imò omni natura, cum Socratis forma incompossibilis. Ergò temperies alterius hominis nequit Socrati disconueniens esse, aut lethalis, vel si sequelam neges; ergò temperies bruti & alicuius hominis, eiusdem sunt naturæ & conditionis respectu Socratis: quod falsum manifesto erit. Adde ex contraria opinione sequi salutarem vnius hominis temperiem disconuenientem & morbosam esse respectu alterius, veluti est lethiferorum reptilium temperatura. Vnde communis hominum conuersatio ex hoc principio periculosa esset, cum vix inuenias hominem alteri omnino similem in temperie. Sed in contrarium est quotidiana experientia cum frequenter homines diuersorum multo temperamentorum innocuè conueniant; dum alicuius morbi suspicione non tenentur, sed commoda fruantur salute. Huc respexit Philosophus dum Problem. 1. sect. 7. rogauit sic, *Cur à morbis nonnullis ægrotant qui appropinquarint*

propinquarint, à sanitate nemo sanari potest? Redditque, *an quoniam morbus motio est, sanitas autem quies.* Quasi diceret, morbus in intemperie (de hoc Problema est) cùm sit à mediocritate recessus alterare istam potest, id est ad recessum mediocritatem trahere, cum media valeant ad extremum peruenire, vnde extrema si actiua sint mouere ad se temperata possunt, imò de facto mouent, cum agentia naturalia dicantur, & proxima subiecta alterare necessariò habeant, proinde scripsit, *an quia morbus motio est,* id est, morbus motiuus est corporis sani illi proximi quod ad illum potentiam habet; at verò sanitas subiecta quæ sana sunt sanare nequit, cum ad habitum non detur potentia, & quoduis naturale temperamentum conueniens formæ sit & habituale, vnde ad aliud naturale potentiam non habet, cum actu naturale, quod exoptat, habeat, sit hoc, sit illud, quia forma non intendit temperamentum pituitosum, aut biliosum, sed naturale, & conueniens & cum illo gaudet, altero non indiget, proinde Philosophus sanitatem quietem esse dixit, quia quæuis temperies vtilitatem, quam appetit forma, adducit, vnde temperies ab alia temperie non patitur, quia quamuis detur temperamentum biliosum posse ad se reducere pituitosum, aut è contra, nihilominus tunc non dicetur hominem illum sanum euasisse, cum anteà sanitate frueretur. Ergò ex hac Philosophi opinione constat sanitatem vnius indiuidui alteri subiecto sano morbum non esse, posset aliter aliquis homo sanus à sanitate sanari, quod contraïre experientiæ Problema supponit, hinc habes Zacutum lapsum in expositione Philosophi lib. 2. de Medic. princip. hist. dub. 40. qui Lusitanus putauit voluisse Aristotelem hominem morbosum à sano sanari nũquam posse quod longè abest ab Stagiritæ mente. Sed comparauit hominem sanum ad morbosum & ad sanum, & rogauit cur sanus à morboso aliquando morbosè inficitur, sanus verò à sano nunquam. Respondétque sanitatem ab immoderatis, quales morbi sunt corrumpi, alterari, aut moueri, non verò sanitas tale quid à sanitate patitur, quia simile non agit in simile, en sanitas vna similis alteri est vt talis; non contraria, non morbosa, non immoderata. Neque contrà sentit Auicenna dum fen. 1. 1. doct. 3. c. 1. scribit: Debes autẽ scire quod omne indiuiduum debet habere complexionem sibi solummodò

dò propriam in qua aliud ei associare est impossibile, nam quidquid exponat Gentilis, vult Princeps Arabum complexionem naturalem indiuidui cuiusuis alteram alterare non posse, quæ sanitatem constituat, quia quæuis, naturalis cum sit, & quoad iustitiam formæ, habitum naturalem constituit sanitatis, qui ab alia sanitate non valet alterari, aut associari ad illam.

49. *Exponuntur fundamenta contraria quæ Vallesij & Carreri doctissimorum sunt.*

Et quia contraria de hac re sententia Vallesij, Carreri, & nostri Vasqui est, illeque ex diuerso principio illam deducat, quam isti suam comprobarunt, proinde necessum habeo vtrumque fundamentum exprimere, & in vtroque etiam meæ sententiæ robur adhibere. Subtilis itaque Vallesius 4. controuers. c. 2. cum species sanitatis dabiles esse probaret. Supposuit aliam esse sanitatem biliosam, aliamque pituitosam & sic de cæteris, atque sanitatem biliosam futuram esse morbum si in homine pituitoso sano poneretur, & cum hoc non leui indigeret principio, ad illud proferendum accingitur, quo solet ingenij acumine, dicit itaque vt summatim dicam, congeriem illam materierum elementorum, in quouis viuenti mixto definitam ac determinatam esse, eamque temperamentum substantiale dici, ad differentiam alterius, quod ex combinatione primarum, & secundarum qualitatum resultat, quod temperamentum substantificum præcipuum fundamentum esse opinatur, & determinatiuum formæ substantialis ad eius intrinsecas dimanationes: nam quod iecur v.g. tale temperamentum qualitatiuum & habeat & foueat in se, à forma substantiali habet, determinata tamen à peculiari sua elementatione qua fruitur, à peculiari inquam temperie substantiali, qua à primordiis suæ structuræ fuit conformatum, idémque sua proportione de cæteris partibus, & actionibus, in omni viuenti venit cum Vallesio intelligendum.

Vnde ille conclusit, cum elementatio hominis biliosi (adesto animo) determinet animam ad conseruandum & producendum ab intrinseco temperamentum calidum & siccum, si hoc in homine pituitoso poneretur esset illi per Vallesium præternaturale, ac morbosum, cur nam putas? quia ex vi illius peculiaris elementationis, seu temperamenti substantifici pituitosi (vt sic loquamur) repugnat formæ rationali illius subiecti temperamentum biliosum, hoc est calidum & siccum cum solum determi-

nata

nata ex elementatione materiæ ad temperamentum pituitosum sit, frigidum intellige & humidum producendum & conseruandum ab intrinseco. *Igitur cum hæc ita habeant.* (concludit Complutensis Vallesius) *meritò fit, vt illæ qualitates quæ proportione respondent naturali temperiei* (id est substantificæ) *ad bene operandum sint accommodæ, quæ illi non sunt proportione respondentes sint incommodæ.* Hæc ille ingeniosè cui noster Abbas assentit 1. de morbo & symptom. cap. 4. quæst. 1. quamuis verò temperamentum hoc substantificum (seu materiale seu secundum, seu sigillationem materiæ, seu quouis nomine illud nomines) pars sanitatis determinatiuum dimanationis ab intrinseco qualitatum naturalium habitualiúmque fundamentum libenter cum Vallesio receperim, fundamento nihilominus meæ sententiæ innitens opinor dicendum quamlibet materierum combinationem, sigillationem quamlibet materiæ, quodlibet temperamentum materiale seu ex materiebus conflatum quod vni hominum conueniens & salubre existat, tale etiam futurum respectu cuiusuis animæ rationalis, in quouis hominum, si quodlibet cuilibet inesset successiuè, quia & si temperamentum materiale hominis biliosi, eius formam disponat, ac determinet ad calorem, & siccitatem, & conseruandum, & ab intrinseco producendum, intra sanitatis sphæram, nihilominus si prædictum temperamentum alterius hominis pituitosi, forma haberet ipsa, illoque donaretur absque dubio benè valeret; & amissa proxima materierum dispositione ad temperamentum biliosum exposceret & pituitosum, & seruaret. Cum vt probatum suprà est, quæuis anima vnius speciei eiusdem omninò sit realiter perfectionis essentialis & indiuidualis, atque temperamentum salubre solùm appetat, sit bene medium sit pituitosum, sit biliosum, aut ad aliud declinans. Sanum & conueniens illa appetit, sit hoc, sit illud, in vtrumque propendet. Neutrius conditionem respuit quod Vallesiani ratione aliqua reiicere tenentur.

Quod si pro his obiicias, præsente temperamento substantiali, quod ad pituitosum formam determinat, nequit temperamentum qualitatiuum biliosum in illa materia inductum conseruari ratione animæ ad contrarium determinatæ. Ergò biliosum erit illi subiecto disconueniens, sed erat bilioso homini 51.

conueniens ac salubre, ergò datur temperies quæ vni hominum sit salubris, alteri verò disconueniens ac morbosa. Respondeo tamen temperiem biliosam qualitatiuam in homine pituitoso inductam, non conseruandam fore perseuerante pituitosa elementatione quæ ad illam non determinat, sed neque proinde biliosa actiones naturales læderet: vnde morbosa non esset, facile tamen laberetur, desineretque in pituitoso, (eius elementatione inuariata) non quia disconueniens aut morbifica, sed defectu conseruantis, hoc autem non redolet disconuenientiam in termino respectu subiecti, sed inefficaciam agentis, conseruare nequeuntis.

52. Venio ad docti Carreri sententiam quæ temperamentum illud materiale, seu substantiale non admittit, ponit tamen qualitatem quandam occultam quæ vires habeat easdem cum temperamento Vallesiano, ita vt vna sit secunda qualitas in bilioso occulta, alia etiam in pituitoso homine, & sic de reliquis temperaturis in sanitate, quæ qualitates secundæ, vel ex temperamentis certò primarum, vel ex ipsa anima illo præsupposito oriri in Carreri sententia possunt. Sed etiam contra hunc dicendi modum vrget ante acta ratio. Cur quemadmodum illa qualitas occulta quæ bilioso salubris est, atque illi naturalis, si in pituitoso induceretur non valeret illa pituitosus sicut sua, cum vtriusque anima eiusdem sit perfectionis specificæ, & indiuidualis, vt suasi suprà. Cùm itaque hæc omnia illa nitantur opinione dubia, quæ formas eiusdem speciei impares in ratione indiuiduali reputat, quam ego imparem rationi iudico. Proinde mihi ea opinio de sanitate & morbo, quamuis doctissimorum virorum sit, falsa mihi semper visa est. Eóque magis meam amplector, quam retuli quia minus fascinum naturale confitentibus suffragetur, idémque mecum sentire noster Abbas tenebatur, qui mecum etiam est in opinione de æquali animarum perfectione indiuiduali. Cum si semel hæc negetur facilè affirmaretur posse aliquod indiuiduum rationale ex vi temperamenti naturalis ab hac anima secundùm suam peculiarem perfectionem expeti qualitatem aliquam sibi naturalem ab intrinseco in oculis comparatam habere, quæ disconueniens imò virosa cæteris hominibus existat, quæque fascinum naturale constituat. Falsóque

Galenus

Galenus dixisset, ***Neque enim homo hominem morsu interimit***, id est, nequire hominem sanitate fruentem temperamento quouis aut qualitate quauis donari, intra sanitatis metas, quæ aliis disconueniens & morbosa sit. Voluntaria item est Zacuti opinio lib. 1. histor. 25. quæst. 15. proposit. 8. putantis è cælesti influentia indiuidualem proprietatem indiuiduis demandari posse, cuius ratione monstrosa vis illis iuuandi, aut perdendi insit. Positio vt patet improbabilis Mathematico solum digna potius è cerebro quàm ex cælo vt opinor deriuata, recolito quæ suprà dub. 3. à num. 28. ad 38. notabam; Neque si Auicennæ delirium ab aliquo reciperetur, cuius etiam Scaliger meminit exercit. 97. opinantis viuentium formas substantiales non à parentibus aliqua ratione prouenire, sed à nescio qua cælesti intelligentia formarum producendarum operi destinata, proinde posset affirmari aliquam rationalem animam fascinandi virtute, à tali intelligentia fuisse productam, cùm talis anima radicalem illam virtutem pro prædicato essentiali sibi haberet in quo à cæteris differret specificè, vnde vel omnes vtpotè eiusdem speciei illa radice frui deberent, vel nullam cum tali produci affirmandum ab errore Auicennæ parum declinat Fernelius 1. de abditis rerum causis acriter asseuerans omnem animam à cœlo solùm proficisci, quæ sententia quamuis absurda fascino locum non parat, cum teneretur cœlum vniformiter formas vnius speciei producere eisdem internis prædicatis ac virtutibus fœcundas, ergo tunc vel omnes fascinatrices essent, quod altera esset barbaries, vel nulla. Aliorum verò opinio quam nouissimè propagare contendit Sennertus tom. 1. hypom. 4. cap. 10. approbans rationales animas à parentibus produci, seminibúsque immitti, (quamuis digna quod hæresis notetur, vt habet D. Thom. 1. p. quæst. 118. art. 2. in corp. Castro contra hæreses. verb. anima. error. 5. columnn. 136.) fascini possibilitatem non inducit, tum quia eadem ratio quæ proximas sententias refellit, hanc etiam eneruare constat, tum prætereà, quia cum in illa sententia forma seminis eiusdem speciei sit cum forma parentis, si hæc ex se fascinatrix non est, neque quæ semen informat talis erit, cùm agentia vniuoca effectibus solum præstent, quod illis intrinsecum, & essentiale est, quare

neque ex prædictis sententiis fascini vestigium adumbrari potest.

Satisfit his quæ suprà Ioannes Ildephonsus in Galenum obiecit.

53. SEd verior ex solutione eorum quæ ex Ioanne Ildefonso superius n. 37. & 38. adduxi Galeni quam amplector reddetur sententia, verba Complutensis repeto, *Pues el enseña, y todos con el* (Galenum subaudi) *que en la caueza o vexiguillas de la lengua, y cola tiene la viuora el veneno de manera que las partes del medio cuerpo las declara por libres de veneno.* Sed hæc vltima verba, sicut falsò imponuntur Galeno, sic ex illis quæ pendent falsâ redduntur. Sic Galenus lib. de Theriaca ad Pisonem scripsit dum rationem redderet cur scilicet caput, caudaque viperarum amputantur, dum Theriacæ, quæ supersunt partes immittuntur. *Atqui ne viperas quidem totas in theriacam mittimus, sed capite amputato & cauda, id quod superest accipimus, & hoc neque fortè fortuna, neque sine ratione facimus. Verum quia viperarum capita humorem pessimum, hoc est ipsum venenum continent, propterea igitur capita recidimus vt minus viperinæ qualitatis Antidotus habeat*, & post, *ex reliquis autem omnibus* (partibus supple) *vipera caput habet ad lædendum aptius*, hæc cap. 9. sed 10. sequenti dum perscrutaretur, quî fieri possit vt viperarum caro ictui earum apposita alexiterium salubre commorsis sit, hæc subscribit. *Assero enim bestiolas istas lethiferas propterea commorsis à se hominibus auxilium præstare, quia maiorem partem venenosæ facultatis cum capitibus ipsarum amputamus, minorem autem reliquo corpori confusam conuenienti præparatione obtundimus, nam & earum truncum cadauer elixamus, & non paruam salis, & anethi quantitatem aquæ commiscemus, non solum vt huiusmodi commixturam suauiorem reddamus, sed vt viperarum carnes eliquemus, atque ita vel parum, vel nihil potiùs venenosum in ipsis relinquamus.* Pergamenus iste hæc. Ex quibus euidenter constat Galenum sensisse carnes viperarum, præter capita, caudasque lethiferum etiam succum habere in minori licet copia, aut remissiori qualitate, id quippè sonant in c. 9. illa verba.

Propterea

Propterea igitur capita recidimus vt minus viperinæ qualitatis antidotus habeat. atque cap.10. illa. *Quia maiorem partem venenosæ facultatis cum capitibus ipsarum amputamus, minorem autem reliquo corpori confusam*, &c. demum illa. *Sed vt viperarum carnes eliquemus, atque ita vel parum, vel nihil potius venenosum in ipsis relinquamus.* Ante præparationem ergo, veneno carnes viperinæ erant per naturam donatæ. Falsò ergò illi contrarium Complutensis imposuit, semper quidem Galenus comparatiuo nomine vtitur, & sicut dispar ratio similitudinem excludit, sic comparatio ipsam supponit; vt certum, ergò debet ex Galeno haberi, partes viperæ, aspidis, & huius census aliorum lethiferorum animalium omnes veneno natura donari, plus minusvè, secundum quod huic, aut illi parti profuit ex naturæ, & cuiusuis sortis conditione. Hîc consequenter notanda Zacuti antinomia in Galeni lect de cauda viperæ amputanda vide lib. 1. de Medic. princip. hist. 84. dub. 52.

Ex quibus soluere argumentum Complutensis non erit operosum, dic igitur quasuis viperæ partes veneno donari, ac proinde ad illud simpliciter non habere potentiam, vnde quamuis ictus vnius in sui aut alterius partis fiat, non proinde semet, aut alteram interficiet, cuius optima Galeni ratio est, *Quia quod simile est, id congruum amicumque est.* Vbi per simile non attendas velim similitudinem formalem inter succum viperinum & eius partes, sed similitudinis voce naturalem, aut secundum naturam intellige, non enim vt puto succus ille forma viperæ substantiali informatur, neque temperamento aliquo, quod illam formam disponat. Si horum aliquid haberet viperinus succus similis verè posset cæteris viperæ partibus dici, quemadmodum duas carnis potiunculas similes vocamus idest homiomeras, quia eadem substantiali forma viuunt ac sentiunt, imò eodem naturæ temperamento gaudent, sed & portiuncula carnis, portiunculæ ossis similis debet appellari, dum eiusdem sunt viuentis sensibilis, aut duorum viuentium eiusdem speciei, quia quamuis temperamento dissideant, forma tamen substantiali nequaquam differunt, quod sufficit, quo similes illæ partes dici debeant. At verò sicut saliua humana dissimilis in temperamento, & forma hominis est, sic succus viperinus. Dicuntur tamen à Galeno similes cuicun- 54.

 que

que indiuiduo eius speciei, quia substantiæ illæ à natura rectè operante sunt, secundum naturam omni illi speciei datæ, in peculiarem finem quem hic expendere necessitate caret, quemque natura rectè operans semper vbique intendit, quomodo ergò vis destructionem inferat quod à natura est, vtpotè venenum illud naturalissimum feræ cùm sit à salubri resultans viperæ temperie, violenta quoquomodo illi aut speciei esse repugnet, non experiris humanam saliuam, venenum serpentibus mortiferum? Præcipuè si ieiunus homo ipsam illis immittat? Maximè profectò & à Galeno passim relatum. Sed redde obsecro, cur nam homo, semetipsum non interimit, quoties propriam (quod sæpè fit) deglutit saliuam? Vel ipsa alterius hominis partes, (quod pluries accidit) attingit? Non ob aliud reddes nisi quia quod simile est quod speciei secundum naturam; id congruum, amicumque est. Dum verò intendis viperæ ictum, aliam interfecturum, dicito hominis saliuam, alium interfecturam: at hoc nefas putas, cur ergo illud fas reputas. Ergo Galenus bellè expendit, hominem alium, aut viperam alteram morsu non interempturam, quia quod simile est, id est natura, id congruum amicumque est. Quod verò contrarium, id est contrà naturam, aut extra speciem, inimicum ac noxium.

55. Vt obiter deceptum habeas Ioannem Sanchez de Valdes lib. 1. histor. generalis *del hombre* cap. 30. vbi falsò Galeno Auicennæque imposuit dixisse saliuam hominis irati, virosam alteri hominum existere, ita vt si in alicuius facie eiacularetur; tanquam præsentaneum virus, animā de medio tollat. Sed ex dictis constat huius authoris lapsus. Tum quia si id verum esset, inutiles gladij, ac cætera offensiua arma haberentur, sed & natura veniret incusanda, quæ hominem inermem producens, tam diro instrumento donaret, armatumque in lucem ederet. Vix rixa sine nece existeret inter homines. Verius abs dubio Galenus expertus pronunciauit: *Sed neque homo hominem morsu interimit,* nedum leui sputi iniectione, quæ potiùs opprobrij causa, quàm mortis, pessimo more habetur, deinde neque tanti mali experientiam, tot abhinc sæculis maligna aliquo um conditio simulasset. Sed si enixè hoc commentum asseueres, nihil ad fascini positionem virtute visiuæ potentiæ, vt talis assumis, dici quippè posset

possset ex vi indignati animi putrefieri in nobis humores, ex his deinde saliuam infici; eamque alteri immissam venenum illi esse, tunc verò infectus esset iratus, sanitate non diceretur frui saliua conspurcatus, infectus etiam diceretur ab altero, vel contagio vero affectus, hæc verò vt per intellectum dicta, sic per experientiam nusquam fuerunt inuenta, quis obsecro tot mala instantanea ferè rixa fieri credet?

Exemplum de substantiis nostri corporis, ex propriis, ac naturalibus cauitatibus in alias partes transmissis (quod Ioannes Ildephonsus supra num. 38. assumpsit) non tenet hîc: quia prædictæ substantiæ, vbi propria, ac naturalia vasa derelinquunt, illicò corrumpuntur, (vt de sanguine venis expulso experitur) media qua corruptione partes vbi insident, alterant; sic bilis in vesica quam fellis vocant, seruatur, ipsam alit, & quod superest in aluum mittitur, illius excitandæ gratia, quæ tamen, si extra illud vas pelleretur membri conseruantis fomento destituta prauas qualitates, acquireret, quarum causa, partes, quas attingeret, acriter læderet. Hoc autem ideò eueniret, quia corrupta bilis necessariò, esset ob defectum centri, aut loci naturalis, qui determinatus à natura est. At verò si bilis extra vesicam fellis per tempus fortè inalterata sensibiliter conseruaretur, vt in ictero seu Regio morbo accidit præter symptoma in qualitate mutata, nullam læsionem cuti inficeret, cur autem hoc? Consulito practicos, atque ex nostratibus Mercatum, & Marojam illum lib. 4. de inter. morb. cap. 5. hunc lib. 5. eiusdem operis cap. de ictero. Sed succus ille viperinus, quamuis in capite, aut viperæ dentibus colligatur, non ibi est tanquam in vnico à natura loco, quippè etiam in cauda, & vniuerso corpore colligitur, quia fortè illo succo serpens ille in omni parte gaudet, cuius finis natura scita, conscia sit, velut in nobis pituitosus succus in ore adest, in ventriculo, in omnibus articularibus membris, in locutionis, ac deglutitionis finem, in motus facilitatem, atque in ventriculo coctionem præter communem cum cæteris nostri corporis succis, finem quem ille habet estque partium in nobis determinatarum, nutritio, & quia præter hunc aliorum relatorum gratia, etiam à natura pituita producatur, proinde illa membro caret determinato, vel in quo generetur, vel in quo retineatur, vt bili

flauæ,

flauæ, atque nigræ inest. Super quo Galenum adito lib. de atra bile c.8. 1. de natur. hum. com. 39. 5. de vsu parti. c.4. 2. Prognosticor. Com. 37. 2. de natur. facult. 8. & sæpè aliàs. In quibus locis habebis pituitosum succum, ob varias causas naturales, obque varios naturæ fines iam in ventriculo iam in hepate, sed etiam in glandulosis partibus gigni, vt 2. de different. febr. cap vlt. quod idem de viperino succo non sine ratione affirmari potest. Cùm ille, vt suprà Galenus habet, per vniuersum viperæ corpus diffusus resideat, quamuis priuatum naturæ finem rimari potiùs, quàm assignari debeat.

57. Ad illud de illorum lacertorum certamine n. 37. relato respondeo (ne fidem historiæ desiderem) illa serpentia animalia, eo illam herbam adire, & illa fricari, non quo venenum ab aduersario receptum deponant, sed quo vires ad nouam luctam acquirant, quas *eringium* habere ex Dioscoride licet accipere, quia quamuis huius Plantæ radix venenis sit aduersa, folia verò talia non sunt, neque huius virtutis prædictus Author meminit, dixit nihilominus eius herbæ folia resolutiuam tumorum efficaciam includere, cuius ratione fortassis ab illis lacertis expeterentur; in concussione siquidem quam in rixa habebunt tumores resultabunt, quos fricatio ad prædictum cardum leuabit. Sed & dolores inde ortos mitigabit, cum resolutiua medicamina naturam anodinorum, id est dolorem sedantium habeant. Neque vt venenum lacertus deponeret illa solùm planta erat, quia spinosa illi necessaria, plures quidem herbæ aculeis acutioribus donatæ in natura sunt, & communiter vergentes quibus compungi serpentes illi possent, vt virus à se excluderent. Libenter tamen refero à quodam Romano Salmantices quondam accepisse chondrillam herbam, quæ scurionera nobis compellatur, propterea sic vocari, quia vt & ipse vidisse attestabatur, dum Vipera & Rubeta, ad pugnam (quod sæpè fit) deueniunt, prædictam herbam Rubeta adit, ipsam lambit sugitque, & in venenum munita, iterum cum vipera in arenam descendit. Sed hoc creditu facile mihi fuit, nam & est dissensio inter angues specie diffidentes, non verò inter specie similes, vt Complutensis ex aliorum fabella fortè refert. Alteri de viperarum rixantium experimento, facilior est responsio. Quod vipera viperam superet, quod vna

alteram

alteram enecet non propriæ virulentiæ, ſed irrequietæ ac ferinæ pugnæ, vehementi motu, ac concuſſione dura ortis, ex quibus vas quodpiam, & præcipuum rumpatur, veroſimile ſatis eſt accidiſſe. Sæpè canes inimicitia citati, tauri ſæpè zelotypia moti, ſecum pugnant, nec raro ſe interimunt, ſic viperæ, & fortè eiuſdem ſexus ſe interiment, vnde interemptorum animalium humores corrumpuntur, & putrent, ex eiſque eleuatis vaporibus viiſque cadaueris obſtructis inflari illa, & in flatulentam mollem attolli par eſt. Sed ex hoc nihil habet quod Galeni ſententiæ Complutenſis opponat. Sed conſtat potius fixam habere veritatem nullumque alteri propriæ ſpeciei veneno officere, nec faſcino commentitio lædi poſſe. In quo obiter lapſum Ruellij noſces, vbi ſuperius ſic ſcribentis. *Et quemadmodum cum Aquilarum pennis mixtæ reliquarum Alitum pennæ abſumuntur, neque eam labem ſentiunt cum alijs teneris & mollibus, etiam putreſcentibus; ſic nihil intererit, hominis cuiuſdam ſalubrem eſſe tactum, alterius verò noxium, & moleſtum haberi, qui nimirum viſos iniuria laceſſit*. Sed Gallus is non aduertit grande inter recenſita diſcrimen, quia aquilarum pennæ alterius ſunt ſpeciei cum his quæ cæterorum volatilium, inter hæc erit antipathia, ſecus inter homines. Quia quod ſimile eſt id congruum amicumque eſt. Vt hucuſque ni fallor ſatis comprobatum manet.

Virtus naturalis ſanandi in hominibus aliorum hominum reſpectu reprobatur.

HInc etiam habes (vt neque id prætercream) deceptos illos qui opinantur homines exiſtere, *naturali potentia præditos* ſanandi alteros, ſed nullum eſt deliramentum Patrono indignum. At ſi talis exiſteret virtus, cur nam rogo Apoſtolus illam inter gratias hominibus Dei optimi dono datas retulit? Omnis deinde curatio per contraria eſt. Ergò ſi temperamentum Petri v. g. Ioannem ægrum ſanare valet, poterit eodem iure ipſum Ioannem ſanum, ægrotum reddere, contrarium verò demonſtratum num.47. ex Ariſtotele habes, à ſanitate quippè nullus ſanus ſanari poteſt, & quia medicamen ægris ſalubre ſanis mor- 58.

bosum est, omnium ratio esto, quia ægroti contraria expetunt, sani verò similia: illi vt morbum deponant, hi vt statu salubri seruentur, quia morbus excessum designat sanitas moderationem, vt Galenus sæpè repetit præcipuè lib. 1. de different. morbor. & lib. de inæquali intemperie. Ob idque 1. Epidem. Com. 2. text. 46. & primo Methodi cap. 7. docebat morbum & sanitatem opponi, non vt extrema, sed ea oppositione, quæ inter extremum & medium est. Vnde constat, nec salutem communicari posse, quia salus cùm symmetria, seu proportio sit, morbus verò ammetria seu excessus, ni accedat excessus alter ex contrario morbus à sanitate quæ illum excessum non attingit vinci non poterit, at verò medicamenta, cum respectu nostri excessum habeant, euidenter constat & posse contrarium excessum, qui morbus est fugare, & sanitatem quæ moderatio est destruere. Medicamentosa ergò virtus talis erit respectu laborantium, sanorum verò ratione morbosa. Expende Galeni verba lib. 3. simplic. cap. 12. *Etenim quidquid curari debet tanquam quod ab immoderatione, seu ammetria, ad commoderationem seu symmetriam reducitur, non id quod bene temperatum sit requirit, verùm id quod contrariam habeat intemperaturam.* & lib. de inæquali intemperie cap. 6. sic. *Itaque etiam sanitatis tutela per similia perficitur, morborum sublatio per contraria.* Ergo temperies hominis sanitatis in alio homine productiua similis speciei humanæ non est, sed dissimilis, & contraria, incompossibilis ergò cum operatione sana. Cur ergò Petrum non lædit? Nisi in specie humana tantam temperamentorum latitudinem concedant, quantam inter specie dissita fatentur. Super quo inferius latior lis formabitur. Demùm quæ est ista virtus sanitatis in natura, tam eximiæ prærogatiuæ, quæ omnes morbos, & ipsos grandi diuersitate distinctos curare valet? Itaque dicent hanc gratiam naturalem, morbos sanare calidos, sanare frigidos, firmare membrorum luxationes, facultatum impotentias reducere, claudos restituere, lippos illuminare. Inter naturalia, vni vnum tantummodò esse contrarium per se docuerat Diuus Thomas cum Arist. sed hi dispendio intenti vel contrà naturam fortes mille contrariis vnum solum opponi opinantur, ni malis hos Philosophos temeritatis aut erroris accusare cum Delrio doctissimo lib. 1. disquis. Magic. c. 3. q. 2.

Quid

Quid ergò dicam ad Ioannem Sanchez de Valdes vbi ſuprà cap. 30. vbi habet hæc. *Y en vn pueblo cerca de granada hauia vn linage de Muxeres que llamauan Moteras que con ſolo poner la mano ſobre el oxo lo ſanauan ſi tenia nube ò paño, ò eſtaua enfermo, y ſi eſtaua ſano el oxo ſe ſalia tras la mano aſta que ellas miſmas le voluiã à ſu lugar, y ſi auia caido alguna mota ò paxa, ò moſquito ò otra coſa en el oxo poniendo la mano ſe ſalia pegado à la mano.* Dicam hanc hiſtoriam ex eis eſſe quæ teſtes exoptant, & ſi adſint ex ea conſtat eas mulieres de cacodæmonis conſortio incuſandas: quod quia notum, non eſt quod longiori manu reprobetur.

Non venit proinde admittenda abſolutè Braui Petrafitani ſententia lib. de hydrophobea natura (cui adhæret Moura opuſculo ſæpè notato ſect. 2. cap. 9. num. 5.) putantis hominum aliquos, naturalem virtutem ſanandi habere poſſe, inſtar herbarum lapidúmque, quibus prædicta virtus ineſt; quia præter dicta, & inferius addenda experientiæ ab his Doctoribus adductæ illud non probant, quia Petrafitanus refert Salmanticæ quondam, hominem extitiſſe, qui è lecto in quo iacebat pulices ſingulas, cimiceſque ingenita quadam vi pepuliſſet, cui ſimilem monachum ex ſeraphica familia agnouiſſe Moura refert, omnémque cimicem ſorte mala illum morſulo ſugentẽ illico animam propriam in morſu illam poſuiſſe, ſempérque experimento id monacho fuit. Namque vt vno verbo dicam, illa illorum hominum virtus non ex eorum ſana temperie oriebatur, ſed ex aliquo morboſo præternaturalíque humorum apparatu. Neque abs dubio erat ſi Petrafitanum expendamus, qui de virtute illa dubitans, an naturalis, an morboſa eſſet, ſic dixit. *Aut viroſo à corpore expirante odore miro quodammodo ita pellebat, atque fugabat.* Sed quis non videt viroſum odorem è nulla hominum ſalutifera temperie naſci poſſe, cum ſaliua humana proinde ſerpentibus viroſa ſit à quouis hominum ea expellatur, quia ex naturali debitáque rationali formæ ortum habeat, ſed ſi illa illorum hominum proprietas ſic ortum haberet, quiuis illam expiraret eodem modo illis animalibus noceret, at ſic non accidit, ergò quia in illis ex morboſa diſpoſitione pendebat, quod non eſt dubium, nec virtutem ſanandi confirmat, nec faſcino vel leue principium adducit, vel dicito fieri poſſe, vt homo aliquis ex vi peculiaris temperamenti ſani, ac 60.

conuenientis animæ disconuenientem aliquam qualitatem viuentibus specie diuersis habeat (vt prætercam expertam ac miraculosam gratiam in prædicta animalia, qua sacræ Teresiæ Moniales, singulari Dei priuilegio donantur, Moura ex Yepes referente sectione 2.c.8.n 22.) quod aliquibus videtur non inconuenire (super quo inferius vbi de salutatorum vi agetur) at respectu propriæ speciei omnibus videtur implicare, quia tunc sibi ac cæteris eius naturæ vel salubris, vel morbosa esset. De gratia verò peculiari aliquorum hominum certos morbos sanandi vide dub. 7. à num. 11.

Fortuna Medici communiter expetita expenditur, ad verum sensum reducitur, & fascinum ex ea deductum improbatur.

61. SEd torquet multum Carthaginensem & Brauum Petrafitanum ante relatos, illud commune Axioma *oportet Medicum esse benè fortunatum*. Quod nisi intelligatur de virtute sanandi alicui insita medicinámque exercenti; siue ex eius peculiari temperie siue alia ratione prodeat; verum esse non poterit. Nihil certè frequentius in medicis expetitur quàm eos bona fortuna donari, id est aliqua occulta virtute morbos periculo etiam plenos profligandi. Cum itaque hæc prærogatiua pleno ore ab omnibus in medicis desideretur; atque contrariorum eadem sit ratio, ac disciplina, concedendum videtur medicos extare quos infortunatos, seu male fortunatos vulgus vocitat, qui occulta quadam infelici conditione, morbos etiam leues deterioris conditionis, aut lethalis reddere habeant, sed & similiter, ex hac opinione deducere per illos licet tum sanandi virtutem naturalem alicui hominum inesse posse, tum demùm alios inficiendi, aut fascinandi, quod maximoperè aduersarij contendunt.

Quamuis hic dicendi modus suprà fuerit sufficienter impro-
62. batus, iterumque eliminabitur inferiùs. In gratiam tamen aduersorum conabor, illud axioma, *Oportet Medicum esse bene fortunatum*,

natum, ad commodum sensum, piamque ac philosophicam rationem reducere, vt inde vulgus habeat, quanto iure ac iudicio fortunam Medici metiri debeat; neque placet hic nugatoriam Antiquorum opinionem in medium proferre, quæ fortunam tum cælo, tum templis locabat, nihil turpius aut mendacio plenius, infortunatus abs dubio esset Medicus, qui hanc fortunam nihili non penderet, de qua fortuna sanctè Augustinus dixit. *Fortunæ nomen, & numen à Christianorum mente exulare debet.* Præmissa itaque fortunæ existentia sensu quo ab Aristotele, inter efficientia per accidens admittitur lib. 2. Physic. c. 5. ibique ab interpretibus cum D Thom supponi debet doctrina quam ipse Angelicus Præceptor adducit lib 3. contra G nt c. 92. vbi tres supponit fortunæ ordines, respectu hominum quidpiam operantium, in quibus perscrutandis liceat mihi parumper immorari; præmittit itaque Sanctus Doctor tunc aliquid fortunatè alicui hominum contingere, cum vni effectui intendens alium præter animum operatur, proinde Philosophi sic Fortunam descripserunt. *Est causa per accidens in his quæ rarò contingunt sine electione.* Vnde sic Diuus Thom. ibi: *Dicitur enim alicui homini bene secundum fortunam contingere, quando aliquod bonum accidit sibi præter intentionem.* Et quamuis hic bonæ solum fortunæ meminerit, idem intelligito de aduersa, sæpè quippè exemplum doctrinam adumbrat vniuersam. Supponit iterum quod quamuis agens præter intentionem quidquam operetur, ille tamen effectus præter aliquam intentionem non fit, quippè cum omnia naturalia agentia, & etiam libera qua electione operantur, alicui superiori causæ subiecta sint, quamuis illa effectum fortunatum, (vt sic loquar) non intendant, intenditur tamen ille à superiori causa cum ipsa creata ac inferiora agentia subiiciuntur. Vnde ille effectus, casu aut fortuna erit, respectu agentium inferiorum, non tamen superiorum, quippè horum respectu effectus fortunatus, non talis, sed effectus per se erit. audi verba: *Contingit autem aliquem operantem præter intentionem operari propriam non tamen præter intentionem alicuius superioris, cui ipse subest. Sicut si Dominus aliquis præcipiat alicui seruo, quod vadat ad aliquem locum quò ipse alium seruum iam miserat illo ignorante, inuentio conserui est præter intentionem serui missi, non autem præter intentionem domini mittentis,*

& ideò licet per comparationem ad hunc seruum sit fortuitum, & casuale non autem per comparationem ad dominum, sed est aliquid ordinatum. Quid clarius?

63. Quibus ex Doctore Angelico sic præmissis, cum inter agentia creata, quæ fortunâ operantur illa solùm sint quæ electione efficiunt, vt Philosophorum primus lib. 2. Physic. cap. 5. monstrauit, proinde Sanctus fortunam in homine respectu aliquorum operum adinuenire rectè potuit, sed homo triplicem actionum naturam sortitur, prima quæ ab eius anima elicitur mediis potentiis quas materiales Philosophi vocant, atque etiam medio temperamento naturali cum altioribus qualitatibus ipsum etiam ingredientibus. Secunda sors earum est actionum, quæ ab intellectu solo eliciuntur. Tertia denique quæ à voluntate. Et quamuis abs dubio homo in hoc triplici actionum genere Deo optimo tanquam vniuersalissimæ, ac primæ causæ subiiciatur, tamen actiones, quæ à potentiis materialibus & etiam quæ ab intellectu oriuntur aliis superioribus causis subiici manifestum apparet. Primum quia temperies, ac dispositio ad naturales actiones, cælo ac eius constellationibus subiecta existit, quatenus cælestia illa agentia suos præstarunt influxus vniuersales, ac dispositiones ad formam rationalem in materia, quatenusque cum eisdem materialibus potentiis ad earum opera, tanquam vniuersalia agentia concurrere habent. Vnde est illud *Astra mouent homines*. Tum prætereà quia cum vniuersa sublunaria agentia lationibus superioribus, id est cælestibus mobilibus subesse necessarium fuerit (vno dempto libero hominis arbitrio), vt inde tota eorum virtus regatur, ac gubernetur, vt supposuit Aristotel. lib. 1. de cælo, fieri contingens est, vt homo alicui intendat operi in quod ipse cœlitus inclinetur, ex vi inquam cælestis dispositionis, sine eo quod inclinationem aduertat, in quo fortunæ ratio adumbratur, vt post latius constabit.

64. Sed intellectus etiam respectu suorum actuum subiectus dici potest prædictis cælestibus actiuis, non quidem directè, sed quatenus in eo nihil per naturam esse possit quin præfuerit in materiali potentia. Sed hæc subiicitur illis. Ergò & intellectus licèt non immediatè. Præter hoc etiam spiritualibus intelligentiis intellectus subditur, quatenus, intellige, ille dirigi, aut suaderi

deri ab illis poteſt. Quod idem de voluntate noſtra dicito, cuius electio præter ſubordinationem quam à Deo habet, etiam Angelis ſubeſſe conſtat prout ab eis per modum perſuadentis regi etiam poteſt; auſculta Angelicum Magiſtrum. *Cùm igitur ſit ordinatus ſecundùm corpus ſub corporibus cæleſtibus, ſecundùm intellectum verò ſub Angelis, ſecundùm voluntatem autem ſub Deo, poteſt contingere aliquid præter intentionem hominis, quod tamen eſt ſecundùm ordinem cæleſtium corporum, vel diſpoſitionem Angelorum, vel etiam Dei, quamuis autem Deus ſolus directè ad electionem hominis operetur, tamen actio Angeli operatur aliquid ad electionem hominis per modum perſuadentis, actio verò corporis cæleſtis per modum diſponentis in quantum corporales cæleſtium corporum impreſſiones in corpora noſtra diſponunt ad aliquas electiones.* Sanctus hæc. Ex qua docta elegantique doctrina conſtat quo ſenſu in humanis fortuna haberi poſſit, quotque modis dici, namque primo tunc effectus fortuitus, aut fortunatus dicetur, quando præter intentionem hominis, vnum intendentis aliud accidit, quod ignorabatur, nedum eius vtilitas, aut nocumentum, vt ibidem ſanctus expreſſit, exemplo rumpentis agrum, theſaurumque adinuenientis, quod accidit vel ex voluntate Dei Optimi cuius reſpectu, nihil fortuitò fit, aut Angeli ſuaſione, aut cæleſtium corporum influentia in ſenſu hactenus expoſito.

Prima fortuna Medici detegitur.

ET vt ad id vnde digreſſus redeam, fortunam Medici reſpectu ſuorum operum in morbis profligandis ex ſingulo capite 65.
à Diuo Thoma præmiſſo oriri poſſe ſigillatim probare conabor, quo habeas inde ad faſcinum ponendum in natura, nihil conſequentiæ ex fortuna medici adinueniri poſſe. Et primò nequit d[illegible]ari, quin poſſit medicus eſſe benè, aut male fortunatus op[illegible] ſuo Diuina ac ſuprema Dei Omnipotentis voluntate. Medici conatui annuente, vel repugnante, veriſſimum itaque erit in hoc ſenſu. *Oportet medicum eſſe bene fortunatum*, non quod oporteat Medicum eligere, qui non artis peritia ac præceptis, qui non maturo conſilio ac prudentia gaudeat, neque qui virtute naturali ſanandi præditus præſumatur, hoc ſiquidem præter omnem rationem

rationem affirmaretur. Sed medicum doctum aliàs, & prudenti obseruatione expertum. Habentes præ oculis illud Ecclesiastici 38. *à Deo est omnis medela* id est electio fortunata, remediorum quam præcedit docta, ac prudens morbi, causarum atque accidentium cognitio à Deo Optimo est, à quo omne bonum, & omnis salus.

66. Vnde constat teneri pium, ac Christianum Medicum Deum continuò pro suorum ægrorum salute deprecari, vt & ipse à quo medela omnis pendet pro sua benignitate, ac summa bonitate actus medici & eius conatus fragili ac volubili coniectura innitentes adiuuare, ac dirigere velit. Quam cordatè Galenus lib. 2 de diebus decretor. dixerat. *Ex cælo & Deo omne pulchrum ordinatum, & artificiosum, ex materia verò inordinatum, & erratum prouenit.* Quippè vt Malachiæ c.4. aduertitur *sanitas in pennis eius.* Et vt Vatablus *medicina in alis eius*, & vt Moura. *Suspensa & alligata virtus illius, mero & absolutissimo Dei beneplacito.* Sed & sacer spiritus hoc præceptum commendatum nobis Medicis habet, ex cuius obseruatione aut incuria bona omnis, aut infortunata nostrorum operum fortuna pendet, namque apud Ecclesiasticum sic legitur. *Est enim tempus, quando in manus illorum* (id est Medicorum) *incurras. Ipsi verò Dominum deprecabuntur, vt dirigat requiem eorum, & sanitatem.* Vbi Iansenius. *Proinde hîc non malè quidam intelligunt sapientem insinuare voluisse, Officium boni Medici esse non solum remedia morbis accommodata applicare eisque niti, ac confidere; sed etiam Deum inuocare, ac orare vt sua ingenia & remedia ad ægrorum salutem dirigat, ac fortunet. Res enim in qua Medicus versatur est per se magna, magnisque periculis obnoxia, quæ ob id non solùm prudentiam, sed etiam piam curam, & solicitudinem requirat, qua neglecta grauissimæ offensiones, ac periculosæ curationes esse solent, cum enim arti suæ plurimùm fidunt Medici, ita vt non curent Dei directionem implorare; fit nonnunquam vt eorum conatus Deus non prosperet, sed subuertat.* Hæc Cornelius Iansenius. Qui vlteriùs hanc Catholicam curam, vt fortunati bene reddamur sic suadet. *Tam ipsi quàm Sacerdotes Deum deprecentur, vt eorum peritiam, & Medicamina Deus fortunet.* Quam desiderabilem præ omnibus ac optimam fortunam expressam habes eodem sacro Ecclesiastici cap. 16 I. *Et dedit hominibus* (id est Medicis)

dicis) *scientiam altissimus honorari in mirabilibus suis.* Hoc est do-
cti ac virtute præstantis Medici actiones Deus fortunabit præter medici intentionem ægroto ex remedio alioqui leui superuenien-te salute, ex quo & honor Medico, & admiratio adstantibus subsequetur laudantibus Deum, quia mirabilis, & medico coniectanti, & ægro anxio pro sua ineffabili misericordia extiterit. 67.

In quo sensu haberi possunt, sacra illa Ecclesiastes verba c.9. *Vidi sub sole, nec velocium esse cursum nec fortium bellum, nec sapientum panem, nec doctorum diuitias, nec artificum gratiam; sed tempus casumque in omnibus.* Id est occasionem fortunámque in omnibus rebus arduis, velut in arte medica, quæ non tam ex nostro conatu quàm ex absolutissima Dei voluntate pendet. Ex quibus constant duo. Primum oportere medicum in hoc sensu esse bene fortunatum, id est à Deo consequi remediorum morbi, & huius exactam notitiam ad salutem ægris inducendam, quorum exactissimam scientiam, ac infallibilem operam ignoramus, id verò expectandum à summa illa bonitate, præmisso nostro labore, studio, ac diligentia, sic enim præter nostram certam spem in effectu remediorum dubio salutem languentibus, & bonam nobis fortunam assequemur. Audi singularia verba ad hanc rem ex libro de rerum affectus dignotione, & medicatione Galeno adscripto in fine cap 5. *Verùm si tandem casibus ità deploratis, & hæc frustrà admoueris, non absurdum erit nos Christianos (sic Deo rem committas) ad maxima nostra & verè arcana confugere, quibus ego & credo, & confiteor non corporis solum affectus, & à quibus omnes medici desperarint persanari, sed omnes etiam animi passiones funditus extirpari.* Quæ verissima cùm sint, tum librum spurium inter Galeni opera putari series demonstrat. Constat secundò illos tantum Medicos honorandos, (vt sacer textus suadet) qui vt Moura notauit suis ad Deum & precibus, & vitæ exemplo infirmorum sanitatem corporalem ab ipso Deo potiùs obtineant, quàm materialis, multúmque fallibilis medicinæ normis. Debet nihilominus in Medico bona artis, ac sufficiens principiorum eius, & prudens exercitatio præmitti, quæreretur aliàs signa, vel supernaturalis illa sanitatum gratia peteretur, quæ Apostolis primò, deinde sanctis infuit? At hic Deum optimum in Medicina solum exoptamus, tanquam illum cui essentialiter omne

naturale agens subditur, & sine quo factum est nihil; Proinde consulit ille, vt æger oblationem impinguet, & det locum Medico. *In his curans* (vt vtilia repetam) *mitigabit dolores , & vnguentarius faciet pigmenta suauitatis.*

Secunda Medici fortuna exprimitur.

68. POtest secundò Medicus esse bene fortunatus Angeli Custodis, vel alterius subsidio, qui per modum persuadentis, vt loquitur Angelicus Doctor in abditissimi remedij in natura, aut morbi obscuri cognitionem ducat; vel quod maioris fortunæ est; dispositionem quam ex vi propriæ complexionis, ad scientiã medicam capessẽdam homo habet propalet. Pro huius exacta notitia vide quæ Carrerus habet disput. 7. de loc. c. 13. à fol. 171. §. *& mihi sanè*, &c. & præcipuè fol. 172. §. *Aduerte pro huius*, &c. Quibus omnibus modis Medicum posse esse bene fortunatum manifestò constat. Et primò quantum ad notitiam pessimi, ac cognitu difficilis morbi, per Angeli persuasionẽ consequendam extat Doctoris sancti doctrina vniuersalis, vbi proximè, in quo loci expendit, hominum ab Angelis persuasionem ad bonum quodpiam haberi pro fortuna posse, quando ad illud suadetur ignorante homine finem. Et tunc effectus propriè fortuitus erit hominis respectu: tunc quippè agentia libera fortunâ operantur cum absque intentione propria effectus quispiam præter animum resultat, audito verba. *Quandoque enim illuminatur intellectus hominis ab Angelo ad cognoscendum solum quod aliquid est bonum fieri : non autem instruitur de ratione, propter quam est bonum, quæ sumitur ex fine, & ideò homo quandoque æstimat, quod aliquid sit bonum fieri ? si tamen quæreretur quare, respõderet se nescire, vnde quando perueniet in finem vtilem, quem non præconsiderauit, erit sibi fortuitum.* Sed extant sacris literis exarata non pauca exempla de mirabilibus Angelorum hominibus propalatis morbis, & remediis in aliquorum curam, vt apud Tobiam cap. 6. de interaneis illius piscis contra diabolicum Asmodæi virus, atque Exod. cap. 15. de ligno aquis immisso in earum dulcedinem, & 1. Regum cap. 16 de Dauidicæ cytharæ concentu, maniacam Saülis affectionem leuante. Quæ omnia remedia, & morbos occultos propalabant, & cum

diuina, ac altiori, simulque cum eorum medicaminum naturali virtute illos, vt probabile dubio vltimo constabit, pellebant. Vnde fortunatas illas curationes Angelica persuasione fuisse constat.

Neque in Medicorum monumentis pauca habentur, quæ bonorum Angelorum consilio in mortalium commodum fuerunt propalata, Galenus ipse libello quem de propriis inscripsit c. 2. refert semetipsum quadam pestilenti constitutione, pessimo apostemate fuisse correptum, atque Æsculapij auxilio fuisse ab imminentis mortis periculo liberatum, at quis Esculapius? fuit, ni fallor, bonus quispiam Angelus, qui auxilium languenti, quamuis Idololatræ monstrauit. lib. 14. Method. scribit hominem curasse, qui tumore linguæ adeò vexabatur, vt de eius vita certò dubitaretur, atque cum per sanguinis missionem, remedij partem suscepisset, dubitatum fuit inter se & consocios Medicos, quodnam Medicaminum topicorum ad linguam poneretur, huius consilio in sequentem lucem remisso, ecce ægrotus illa nocte per somnum suadetur, de succo lactucæ linguæ tumori adhibendo in eius subsidium, quo remedio Medicis proposito sequenti luce res pro voto successit. Sed puto inter naturales insomniorum causas nullam existere virtute naturali donatam obiectandi quæ abdita in rerum natura habentur. Et ad intentum celebris est illa Galeni narratio lib. 11. simp. quæ ideo ad literam transcribere placuit. Sic ille historiæ commendat, cap. de carne viperina. 69.

Iuxta ea qua n. 71. sequenti notabo, & n. 72.

Homo quidam morbo, quem elephantiam cognominant laborans aliquo vsque cum sodalibus conuersabatur, donec ex ipsius consuetudine conuersationeque, quidam nostrum morbi inficerentur contagione, & ille iam odoratu grauis, ac fœdus redderetur aspectu. Constructo igitur illi tugurio proximè viam, in iugo collis propter fontem illic hominem collocant, tantum illi quotidie ciborum ferentes, quod vita sustinendæ satis foret. Cæterum ad canis exortum, cum fortè messoribus haud procul inde metentibus vinum esset allatum, in fictili sanè, quàm fragrans, is quidem qui attulerat, deposito illo prope messores abijt. Verum vbi eius bibendi aduenisset tempus, sublato fictili adolescens, vt pro more impleto cratere competente aqua vinum temperaret, in cratera vinum effundit, & vna excidit vipera mortua. Quare attoniti Messores veriti ne quod si bibissent, inde sibi malum eueniret, suam quidem 70.

sitim aquæ potione sedare maluerunt. Cæterum cùm illinc discederent præ humanitate ac misericordia homini illi Elephantiasi obnoxio, vinum largiuntur, rati expedire illi potius mori, quam viuere in ea miseria, at ille vbi ex hoc bibisset admirabili modo sanitati restitutus est, nam tuberosum illud omne cutis ipsius, non aliter quam animalium à testarum mollitie nuncupatorum, malacostracon, tegmen decidit.* Hæc ille cui similem fortunam Aëtius retulit tetrab. 1. serm. 2. cap. 170. & Galenus ibidem huius sensus fortunatos alios euentus memoriæ prodit, bono Angelo suadenti vt puto referendos. Sed alterum ausculta.

71. *Postremò & vir quidam opulentus non nostras ille quidem sed ex media Thracia Pergamum aduenit admonitus somnio, vbi iubente Deo per insomnium, vt & quotidie medicamentum biberet, quod confectum est ex viperis, & foris corpus inungeret, non multos post dies morbus in lepram abijt, rursumque & hic morbus quibus Deus præcipiebat Medicamentis curatus est.* Quibus addam insomnium ab eodem Pergameno relatum lib. de sanguin. mission. cap. vltim. per quod admonitus ille fuit, vt ad iecoris dolorem sanguinem ex dextra manu mitteret, leuatusque inde dolor est, non dissimile ibidem refert de altero cui per insomnium relatum fuit, vt manuum venas etiam dissecaret, quo ab ingenti lateris dolore liberaretur. Sed & Plinius lib. 25. cap. 2. insomnij meminit cuiusdam mulieris Hispanæ, per quod de radicis Rubi canis virtute admonita, filium absentem illa admonuit, vt radice illa vteretur, quod factum est occasione qua filius diri canis rabidi morsu læsus, vitæ discrimine periclitabatur, quo remedio inde celebri periculum euasit. Huc referri potest filiorum illius Vallesij curatio apud Valerium lib. 2. cap. 4. num. 7. quamuis illius pestiferi morbi remedium, non à bono, sed à malo genio propalatum ex historia crediderim, nec aliena ab hac fortuna est quam Curtius lib. 9. num. 8. de Alexandro retulit cuiusdam scilicet herbæ alexipharmaca virtute Regem à veneno præseruantis, per somnumque illi indicatæ in sæui morbi subsidium. Vt inde noueris quàm pia ac Benefica Dei optimi sit misericordia, quæ hominibus cælico adhuc lumine destitutis in eorum commodum, natiuas plantarum, ac medicamentosas rerum facultates explicare non dedignatur; quod & Iansenius, ad sacrum

Ecclesiast.

Ecclesiast. caput expendit super illa. *Et dedit hominibus scientiam Altissimus, honorari in mirabilibus suis* dicens. *Dedit hominibus, scientiam rerum medicarum, siue per specialem inspirationem, & reuelationem, sicut Adamo dedit; vt omnium rerum naturas cognosceret, & Salomonem 3. Regum cap.4. ea donauit sapientia, vt disputaret super lignis à Cedro, quæ est in Libano vsque ad byssopum, quæ egreditur de pariete, siue quia per variam experientiam dedit, vt ad scientiam rerum Medicarum peruenirent, idque ad hoc vt ab hominibus honoraretur, in mirabilibus suis operationibus quæ inueniuntur in creaturis ipsius & per eas hominum corporibus.* Hucusque ille. Et quamuis illi quibus virtutes illæ manifestantur infideles fuerint, & idololatria conspurcati extiterint, non inconuenit quominus Deus per se vel per suos Angelos prædicta beneficia illis conferat, non ad priuatam idololatræ, sed ad communem hominum vtilitatem respiciens, vt videre licet de Platone, Socrate, Aristotele, nostrisque Hippocrate, & Galeno. Quibus tot scientiarum principia fuerunt explicita, quot viribus naturalibus intellectus assequi non poterant. Vt ex Diuo Thoma, Suario, ac Medina supponit Moura, vbi sæpè sect. 2.c.2.n.10. quod etiam ex ipso Angelico Doctore deduci potest 3. contra gent. cap 154. verba expendito. *Sed quia inuisibilia Dei per ea quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur: per diuinam gratiam non solùm reuelantur hominibus diuina, sed etiam aliqua de rebus creatis, quod ad scientiam videtur pertinere, vnde dicitur Sapientiæ . Ipse dedit mihi horum quæ sunt scientiam veram, vt sciam dispositiones orbis terrarum, & virtutes elementorum.* Hæc sanctus.

Sed & ipse lect. 2. ad caput 12.1. Corinthior. ostendit gratias gratis hominibus datas, dari ad vtilitatem, seu instructionem aliorum per se loquendo, & non propter meritum, seu in præmium eorum, quibus conferuntur, ideóque non potiùs dari iustis, quàm peccatoribus, vna dempta gratia ad manifestandum Spiritum sanctum, & 2.2.q.178 art.2. docet *Deum vti ad hoc ministerium fide mortua ministri miraculi, & doni eo modo quo homo vtitur baculo inanimi* vt constet potiori ratione dicendum prædictarum rerum medicamentosas facultates, Diuini aut Angelici subsidij afflatu illis hominibus, etiam infidelibus fuisse reuelatas, quam dæmonis maligna manifestatione, etiam si homines illi per 72.

idololatriam,aut explicitum pactum cum eo,(vt de Socrate Aristoteléque tenet Moura n.10.citato)ipsimet pessimo hosti fuerint addicti. Nequit quidem intelligi, illum humanæ vtilitati per se loquendo,esse consulturum qui saluti nostræ etiam temporali pro viribus insidiatur. Probatum igitur, & explicitum satis manet quāto iure oporteat Medicum esse bene fortunatum ministerio, repetam,ac persuasione Angelorum,remedium,aut eius occasionem,in miseræ nostræ naturæ commodum, Medico suadentium, vt ex Diuo Thoma nuperculè notabam.

Tertia Medici fortuna profertur.

73. TErtiò constat bene etiam fortunatum Medicum esse posse quando peculiari cerebri(vbi rectrices resident facultates) temperamento per naturam,donatur ad Medicam scientiam vndequaque addiscendam apto, certum quippè est, homines adinueniri singulari conditione ad vnam scientiam idoneos, ad quam alij incapaces maximoperè alia conditione existunt : id quod de medico notauit Iansenius vbi supra. Verba sunt. *Item in particulari Dominus creauit Medicos , quia quibusdam ingerit inclinationem ad artem medicam , in qua & eorum studia promouet ingenia illorum illustrando.* Sic quosdam vidimus Theologia scholastica præcellentes ab aliis in positiua ac sermocinandi arte superatos. Sic Medici sunt, Astrologiæ periti, quos alij in theorica,alij in praxi medica antecellunt,quarum diuersitatum ratio vniuersalis est , quia temperies in cerebró, ac partium eius requisita constructio , pro hac aut illa scientia adipiscenda diuersimodè in vna , aut altera desiderantur,proinde Galenus lib.6. de placitis Hippocr. & Platon.sic commendatum Rebuspublicis reliquit. *Solertiam naturalem in pueris expectare, prudentissimi in vnaquaque Ciuitate seniores adiudicare deberent , atque ita dare operam , vt suæ naturæ conuenientem artem quisque discat.* Quod quidem commodum si quis expenderet non sic pro libito artibus aut scientiis imprudenti consilio & inuita Minerua se introduceret , vel semel aggressus laborem , si natiuam repugnantiam ad illam quam assumit scientiam adipiscendam pensaret , resipiscens , ad aliam conuersus & Reipublicæ, & sibi maximo pretio consuleret , huc spectat illud, de

de grandi, Iuriſprudentia, Baldo, qui iam ſenio conſtitutus ad prudentiam iuris confugit, quod quidem incaſſum fore putabat vulgus; in quem iactauit illud *Serò venis Balde* & citò valde venit, qui expertus forte ſuum ad iura tractanda commodum genium, incommodum verò ad ardua ac difficillima Medicinę opera adeò prudentiæ iuris profecit quod poſteritati admirationem & commodum Reipublicæ grande contulerit.

Hoc igitur modo oportebit Medicum eſſe benefortunatum, 74.
hoc eſt ad hanc difficilimam ſcientiam accedat commoda cerebri temperie, ac partium eius conformatione præditum, (quod ex inſita ad hanc artem inclinatione noteſcit) quo abſtruſa humanæ naturæ arcana philoſophando calleat hominis partes, ac eius compoſitionem rimetur; actiones communes, ac cuiuſque priuatas expendat, caſus obſeruet, experimenta retineat, atque attenta mente, & acri iudicio morborum cauſas ſcrutetur, accidentia expectet, morbóſque ipſos ac membra quibus inſident dignoſcat, facilius ſic illis ſubueniet, ac benè fortunati nomen facillimè adipiſcetur. Hæc vna fuit noſtri Galeni fortuna, vel melius noſtra, quippè cum illum Deus Optimus præmiſſis conditionibus exornaret, ne ingenium ita commodum ad Medicinam aliò flecteretur; eius Pater per inſomnium fuit cælitus monitus vt filium huic ſcientiæ introduceret; vt & ipſe Galenus refert lib. de Ordine ſuorum & 9. Meth c 4. verba ſunt *Annum poſteà decimum ſeptimum agens claris inſomniis Patris monitus Medicinam ſum aggreſſus, cum Philoſophia illam coniungens.* Quod quidem Angeli boni perſuaſione in bonum commune factum fuiſſe puto, vt expendi ſuprà, quibus aſſentit Alexander. Maſſar. lib. de peſte fol. mihi 12. ſic. *Vt nos affirmare non vereamur, cum maxima & innumerabili turba Medicorum vnum in primis Galenum diuino munere mortalibus datum eſſe, vt quod nemo alius aſſecutus eſt, Medicam ille artem illuſtraret, atque vndique perficeret..* Vt hinc habeas (cur hoc prætermittam?) blateraſſe Cardanū qui lib. 6. Aphoriſ. comm. 55. qua ſolet battologia in Galenum inuehitur affirmans ipſum Cacodæmonis conſilio per ſomnum deluſum fuiſſe atque magnæ gloriæ cupidum id memoriæ ſuis ſcriptis tradidiſſe; at in hoc inuidè labitur Cardanus, vt ex relatis conſtat, neque quæ vtiliter ex ſe ſcripta ſunt, & humano generi proficua Cacodæmonis proprio

conſilie

consilio aut manifestari, aut exprimi posse creditu dignum est. Vereatur ergò Cardanus latrare, quem nec mordere, nec fugere poterit.

75. Eodem deinde lib. 9. Method. (ad rem conuertor) conqueritur Galenus, quia ex hominibus Medicam artem profitentibus plures sunt, qui stolidorum, ac vulgarium hominum acclamatione ad fucatam opinionem peruenerunt, quam qui eruditi ac sapientes cum sint, huius abstrusæ, ac salebrosæ scientiæ metas attigerint, honoréque proinde ac admiratione à Republica deberent condecorari; audi Hippocratem lib. de lege num. 1. *Medici* (clamat ille) *plurimi quidem verbis, sermone, famáve sunt, opere autem & re vera perpauci.* Sed occasionem tantæ malorum Medicorum turbæ ad tria præcipue capita reduxit Galenus, Primũ repugnans natura temperamentum, in quo vel potentiarum essentia consistit, vel à quo illæ in suis operibus dependent, vt lib. de different morb. c. 1. docuerat. Secundum est doctorum Magistrorum inopia, id quod ipse lib. 2. de Crysib. insinuarat etiam ibi. *Vera enim conditio* (Medicorum) *non ex his, quæ ab indoctis magistris male operantur, sed ex his quæ docti præceptores rectè pertractant comparatur.* Tertium caput est hanc artem studentium distractio, vel fucati honoris, aut æris cupiditas, verba ausculta *Aut enim natura parum ad eas sunt appositi aut non vt conueniebat sunt instituti, aut studiis non fideliter, sedulóque institerunt, sed ob rem publicam capessendam ab ijs discesserunt.* Hæc 9. Meth. ergo hos docti infortunatos compellent. Quamuis illi pro bona fortuna habeant non tam doctos esse quam videri, audi ex 2. Meth. 5. Galenum. *Etenim nisi magna quæpiam miraque mutatio humanarum rerum fiat actum de bonis studijs est. Vtpote confusis, ac corruptis: nemine veritatem ipsam, sed tantum scientiæ famam quærente, optimè enim profectò scis, nec quinque vsquam inuenisse nos, qui esse potius quam videri docti cuperent.* Proh dolor.

76. Habes ergò fortunam Medici præter primam ac secundam ad mentem D. Thomæ ante explicitas etiam haberi posse ex commodo ad eam scientiam ingenio bonis præceptoribus, aut doctrinis imbuto. Hanc fortunam omnium optimè desiderat prudentissimus Hippocrates lib. de lege, expendito verba. *Quisquis enim Medicinæ scientiam sibi comparare volet, eum his ducibus voti sui*

compotem

compotem fieri oportet, natura, doctrina, loco studijs apto, institutione à puero, industria, & tempore. Quæ consonant his quæ modò ex Galeno transcripsi: Sed aduertito, naturam id est, ad hanc artem ingenium, omnibus illum prætulisse, rationem subtexit. *Primum igitur omnium natura opus est* (dixit) *natura enim repugnante, irrita omnia fiunt. Si verò natura ad optimam viam demonstret, artis doctrina facile continget*: hæc ille: quæ expressius lib. constitut. art. Med. commendauit Galenus c. 8. vbi tria, ad optimum ac bene fortunatum Medicum retulit, scilicet artem & vsum, subtilis item Vallesius lib 8. Controuersiar. in præfatione triplicis malorum, atque infortunatorum Medicorum sortis meminit, qui huius artis vsum profitentur. Prima eorum qui præ repugnante natura aut conditione ingenij ad medicinam senes etiam cum sint infortunati, ob frequentes errores habentur. Secunda eorum, qui quamuis ingenio, ac natura ad medicinam incommodi non essent, quasi per saltum ab Aulis ad ægrorum domos transierunt, quorum frequentia errata malæ fortunæ vocem apud vulgus fuerunt adepta. Tertia demùm aliorum, qui cum principia, ac Medicinæ prima Theoremata calleant, ex ipsisque commodas, vtilesque conclusiones deducant; dum tamen operi, quod huius scientiæ finis, extat, intendunt, adeò in curando hallucinantur, quod infortunatorum sorti, potiùs quàm eorum in praxi distractioni reducantur. Prudens tamen Complutensis, hos omnes Medicos indoctos, incapaces, atque imprudentes nominat. Vulgus diceret infortunatos; sed an dicemus infortunatum cæcum, qui arcum tendat, & toto cælo scopum erret? putat cordatus Vallesius, salutem hominis non ex fortuna Medici pendere, sed ex erudita ac prudenti eius sententia ac docto Iudicio. ibi. *Quamquam ego, quod ad ægrotantis salutem faciat nihil puto situm esse in Medici fortuna.* Et infra: *tamen hæc aut illa remedia, hoc aut illo tempore circa ægrotantis corpus agi in Medici consilio*, supple, *situm est.*

Quamuis si quæ Hippocrates prudentissimus lib. de locis in homine de Medici fortuna sentit produxero nihil huic argumento addendum putarim, Legito. Quia postquam scripsit Medicum teneri affectos locos, eorumque affectiones quoad fieri possit assequi, tum medicamentorum facultates agnoscere, sin- 77.

gulorum ægrotantium conditiones rimari, atque demum occasiones aliàs præcipites amplecti, iam de fortuna circa curationem haud curandum putat, quia scientia Medici, sic firma, constans in opera erit nec fortuna fælix abesse potest, vbi docta manus artem exerceat, expendito grandia verba. *Medicina itaque mihi, iam tota inuenta esse videtur, quæ sic habet, & quæ docet singulas,& consuetudines & occasiones. Qui enim sic Medicinam nouit minimè fortunam respicit,aut expectat. Sed & citra fortunam,& cum fortuna rectè faciet, constans enim ac firma est tota Medicina, & doctrinæ optimæ in ipsa composita minimè fortuna egere apparent;nam fortuna sui iuris est,& nullius imperio subest, neque optantis est ad ipsam peruenire. Scientia verò imperata facere cogitur, & facilè est ipsam feliciter assequi,si qui sciens vti velit. Deinde verò quid opus est Medicinæ fortuna? Si enim Morborum medicamenta clara sunt & manifesta velut equidem arbitror non expectant sane fortunam ad sanandos morbos,siquidem sunt medicamenta; si verò cum fortuna exhibere ipsa prodest, non magis medicamenta quàm ea quæ non sunt medicamenta vna cum fortuna adhibita sanos faciunt. Quicunque verò fortunam ex Medicina, aut alia quapiam arte expellit dicitque eos; qui probè rem aliquam sciunt fortuna non vti, is contrarium mihi iudicare videtur. Mihi enim hi soli fortunatè assequi,itémque inforortunatè non assequi videntur, qui rectè quid & male facere sciunt, fortunatè enim assequi est rectè facere, hoc autem qui sciunt faciunt, non assequi autem hoc est,si quis non sciat hoc,non rectè faciat. Indoctus autem qui est quomodo fortunatè assequi poßit?si quid enim etiam assequatur,non memorabilem sanè successum habebit;qui enim non rectè quid faciat non fortunatè assequi poterit,cum reliqua,quæ æquum est facere non faciat.* Hæc Cous grandis num.mihi 57.& 58. prudenter Zacutus 6. de Medic Princip hist. 1.q. 1.circa finem profert. *Vbi Medicæ sapientiæ plurimum est,minima opus est sorte.* Quæ pulchra & verissima cum sint, irrationali vulgo suffecisse possent, quo in Medicis non naturalem sanitatis gratiam non in medicando fortunam (isthæc quidem in natura absunt) sed optimam scientiam, multam prudentiam, ac bonam conscientiam desideraret.

78. Fatetur tamen Cordatus Vallesius, vulgus hominum fortunatum bene Medicum dicere, quando ad curationem magni alicuius Herois accersitus, ille sanitatem morbi aliàs acuti consequitur.

quitur. E contra verò male fortunatum Medicum habet, quando in cassum eperatur. Sed hos fortunæ modos ignorantis, ac effrænis vulgi potiùs quàm cordati iudicij esse nullus inficiabitur. Euentus siquidem stultorum est norma, pejor fortuna erit, si in manus stulti, ac insipientis Medici incidat. Audi Complutensem. *Tamen hæc aut illa remedia hoc aut illo tempore circa ægrotantis corpus agi, in Medici consilio* (supple est) *qui nihilominus cum peccat infortunatus dici solet à plerisque Ego verò infortunatiorem dixerim ipsum ægrotantem, cui contingit imperitus Medicus.* Fortuna ergò Medici illa erit bona, quæ simul cum ingenio ad artem apto, cum frequenti doctorum Magistrorum doctrina studioque & prudenti proprio consilio pendet; sciunt Medici in febre putrida aluum leniendam fore, sanguinem mittendum, pharmaca adhibenda, vnctiones, & fictiones. Id verò magnum non est: nam illud Vulgares callent barbitonsores, nedum Medici non ignorant. Medici ergò expectatio, prudentia ac proba doctrina, ordinem eorum remediorum perscrutatur, quodnam scilicet remedium, cum quo, quodnam deinde ante quod, post quod adhibendum veniat, in hoc Medici omnis docta ac prudens cúra versatur, *non enim scire, quid fieri oporteat, id magna res est, sed quibus rationibus illud efficias, id enim scire artificiosum est.* Aliquando animaduertit Galenus. Explicitum ergo probatumque manet fortunatum benè Medicum illum futurum, qui natura sit dispositus ad medicinam Theoricam, & practicam adquirendam, vtroque isto crure fortunatè ambulabit, sine verò horum altero claudicabit, vt Gal. 1. Prognostic. expendit Ex quo sic Lacuna vbi suprà. *Medicum tamen* (affirmat) *debere natura prudentem esse, hoc est naturaliter, & ex natiua cerebri temperatura ad operationes intellectus, circa agibilia benè sit dispositus.* Quibus adde doctam eruditionem, atque eruditam prudentiam, hinc pendent boni in Medicina exitus, & felix in opere fortuna. *Fortunatè enim assequi est rectè facere* (vt vtilia ex Hippocrate repetam) *hoc autem qui sciunt faciunt*; Quorsum ergo ab indocto atque idiota fortunam bonam in curatione expectemus? In hoc ergò sensu accipi plurima Galeni asserta debent; quæ in eius habentur scriptis circa Medici fortunam, multa offerre commoda eam arti Medicæ dixit lib. de subfig. emp. & 11. Meth. cap. 1. fortunam causam esse

 sanitatis.

sanitatis. De ven. sect. aduers. Erasistrat. cap. 7. fortunam aliqua in medicamentis administrare 5. de loc. vlt. fortunam quandoque ansam Medicis ad diuinandum præbere, hæc & alia huius census protulit, quæ nisi in sensu hactenus exposito accipiantur, ipsum in sententiam vulgarium de fortuna venisse, non sine iniuria putaretur.

Quibusdam, quæ Carthaginensis contra dicta opponit fit satis, reuinciturque Medici fortuna Astrologica.

79. Contrà tamen hæc, quæ de Medici fortuna probabiliter satis dicta sunt contendunt Carthaginensis, & alij illam fortunam, quam ex vi peculiaris cerebri temperamenti ad fæliciorem huius scientiæ comprehensionem pendere dicebam nullam esse. Cum ex cælesti quadam influentia, illa inclinatio ad Medicinam pendeat nullo opere ad bonos in ea euentus, ex naturali Medici temperie expectato, sed quod illa celestis virtus seu influentia homini in eius genesi inducta absoluta vndequaque sit ab eius complexione, atque ratione illius virtute sanandi præditus reddatur, atque sub hac consideratione demum bene fortunatus. Vndè inferunt ponendam aliam influentiam, qua alij docti aliàs, atque ingenio affecti, infortunati ac infelices reddantur. Intulerunt secundò, aliam etiam virtutem cælicam statuendam, qua homines fascinatores reddantur. Huc enim tota eorum conuertitur oratio, quo suo fascino existentiam tribuant contendunt illud statuere, quia Galen. lib. de spermat. cap. 14. dixerit. *Contingit autem aliquando infantem nulli parentum esse similem, & hoc fieri per naturam planetarum, nascitur enim aliquando mutus, vel carens pedibus, manibus, oculis, &c.* Idem contendunt deducere ex Diuo Thom. cap. 92. lib. 3. contra gent. vbi sic habet. *Vnde nihil prohibet quod aliquis homo etiam habeat, ex impreßione corporis cælestis aliquam efficaciam in aliquibus corporibus faciendis quas alius non habet, puta Medicus in sanando, & agricola in plantando, & miles in expugnando.*

80. Sed quàm sit illorum dicendi modus ab omni ratione alienus,

constat ex his quæ contra virtutem naturalem sanandi scripsi, recolito quæ dubio anteriori, in eundem Carthaginensem contra hanc cælestem influentiam notabam à num. 28. ad 38. Et præter illa. Sic in istos iterum arguo. Illa qualitas cælestis operatur sanitatem independenter à temperamento eius qui illa fruitur? ergò illa qualitas curabit, in omni ætate in omni statu, & omnes morbos, ergò homo illa præditus in infantia, & in vltimo senio sanitatem operabitur, at hoc nusquam obseruatum legimus. Dicitur ergò abs fundamento. Deinde si ille illa qualitate donatus ægrotet pestilenter, aut malignè, vbi contagio imminet, an placebit adhærere illi sua etiam cælica influentia affecto? non audebis puto. Sed dic vlterius cur ille ægrotat, qui cælorum virtute omni morbo, & omni morbosæ causæ opposita gaudet? Videris talem influentiam perenni durationi subiectam exponere, affirmare, cum illam prædices omni morbo contrariam, ni malis hanc cælestem influentiam opponi morbis, sed non senectutis causis, aut naturalis mortis, scito tamen senescere, vt nec Ciceronem latuit, & Galen. retulit 1. de sanit. tuend. c. 5. & lib. 6. c. 2. ægrotare esse, namque senes, actiones plerumque habent diminutas, & aliquas quandoque abolitas, aliquas deprauatas, & has omnes ægras vocat Galenus. vt apud ipsum legitur lib. de sympt. c. 1. & 2. de causis sympt. c. 2. & c. 3. qua ratione ergò ægrotat ille? cur per ætates mutatur ac senescit? Debent etiam de illa Astrologica virture asseuerare, quosuis morbos specie etiam dissitos sanare. Sed Angelicus Doctor contrarium supponit, affirmans illam virtutem cælestem vniuersalem esse non posse, quippè illam quam ad inclinationem alicuius ministerij admittit vniuersalem esse ad omnia ministeria negat, verba vbi supra sunt. *Per eandem rationem apparet, quod homo non potest esse benè fortunatus vniuersaliter ex virtute corporis cælestis, sed solùm quantum ad hoc vel illud.* id est nequit ad omne opus dirigi, sed ad hoc vel illud determinatè inclinari; neque ex hac inferant assertione, fateri sanctum virtutem sanitatis naturalem saltèm ad aliquem determinatum morbum, & consequenter alteram ad determinatum alium inducendum puta fascinum; quia sanctus hic loquitur de inclinatione ad hanc vel illam artem ex vi cælestis virtutis, quæ necessariò cum peculiari inclinati temperamento ad inclinationem, vel ad

opus peculiare iuuabit, sed non concurret ex necessitate, neque inclinabit semper si inferiori dispositio desit, aut incapax temperies adsit. Expendito Sanctum eodem lib c.86. virtus verò naturalis sanitatum implicationem in natura habens, supra reuicta non inefficaciter, vt puto iacet, idque expressius ex eodem Doctore Angelico, in his quæ immediatè transcribam, constabit.

81. Deinde demus hanc cælestem qualitatem inesse Medico ignoranti ac stupido, demus illam deficere alteri, sed docto, prudenti expertóque, assumat vterque suum ægrum curandum, eodem specie morbo laborantem, eadem ætate, viribus, ac regione ac victu fruentem. A quonam obsecro fortunatam curationem expectabis? Ego quidem nisi mea me fallit opinio, mallem me doctus & expertus curaret, quàm insipiens sua constellatione condecoratus. Ergò cum hæc opinio istorum tam sit à prudenti iudicio aliena, neque vlla vsquam experientia nitatur, imprudentis omnino consilij fuerit, illam improbabilem vndique non reputare.

82. Nec illa quæ suprà in hanc veritatem iactarunt, ex quibus suam firmabant sententiam, quippiam roboris in nos habent; certum quippè est cælum in hæc inferiora suas impressiones operari, sed non ita independenter, quia etiam elementorum qualitates primæ, ac secundæ, quæ mixta præparant, & exornant ad istorum effectus simul cum stellis non concurrant, materiam præparando ad formæ introductionem, atque virtutes, seu potentias in genito à forma dimanantes, simul cum astris fortassis sigillando, quibus singula mixta sua munera obeant, itaque cælum influentiam, circa materiam sublunarem habet etiam antecedenter, ad mixtorum genesim, semper nihilominus cum generante concurrit, & post illum cum temperamento, in quo facultates, aut earum opera fundantur, & cum hoc non cum quolibet ad quamlibet actionem sed prout ad hanc aut ad illam inclinationem, ad hoc aut illud opus ab ipso temperamento corporis sublunaris determinatur, ac definitur, vt eleganter conclusit Angelicus Doctor cap. 86. proximè notato. Itaque cælum affectiones naturales nobis præstat, semen disponit eius materiam præparat; atque anima à Deo optimo in ea inducta ad reliquas actiones homini naturales, velut vniuersale agens simul cum

temperamento

temperamento concurrit, in quo ratio disponentis ac inclinantis adumbratur. Audi Sanctum, *Quamuis autem Deus solus, directe ad electionem hominis operetur, tamen actio Angeli operatur aliquid ad electionem hominis, per modum persuadentis, actio verò corporis cælestis per modum disponentis, in quantum corporales corporum cælestium impressiones in corpora nostra disponunt ad aliquas actiones*; hoc est inclinant. Ergo quando Angelicus dixit Medicum posse esse bene fortunatum in sanando ex vi corporis cælestis, debet intelligi ex vi dispositionum homini inductarum à cælestibus corporibus, simul cum causis secundis à quibus præfinitur, quarum omnium ratione paratus ac inclinatus habetur ad Medicinam expeditè adipiscendam vt superiùs notabam.

Expressa est hæc mea cogitatio ab eodem Sancto ibidem. 83.
Quando igitur aliquis ex impressione cælestium corporum, & superiorum causarum, secundùm prædictum modum inclinatur ad aliquas actiones, sibi vtiles, quorum tamen vtilitatem propria ratione non cognoscit, & cum hoc ex lumine intellectualium substantiarum illuminatur intellectus eius ad eadem intelligenda, & ex diuina operatione inclinante inclinatur eius voluntas ad aliquid eligendum sibi vtile, cuius rationem ignorat, dicitur esse bene fortunatus. Et è contrario, male fortunatus, quando ex superioribus causis, ad contraria eius electio inclinatur, & mox *sed in hoc est attendenda differentia, nam impreßiones corporum cælestium in corpora nostra causant in nobis naturales corporum dispositiones, & ideo ex dispositione relicta ex corpore cælesti in corpore nostro, dicitur aliquis non solùm bene fortunatus, aut malè, sed etiam benè natus, aut malè.* En Angelicus Præceptor vbi num. 78. non virtutem sanandi ex influentia cælesti concedit, sed dispositionem, quæ temperamentum naturale necessariò ingreditur, ad facile medicinam (idem habeto de cæteris scientiis, & artibus) adipiscendam inclinantem, vnde bona Medici fortuna pendet, idem ad rem scribit Galenus suprà eo libro spurio relatus, qui expressiùs fatetur stellas cum elementis, atque temperamento ex horum actione resultante ad inclinationes hominum concurrere, id est ad dispositiones, ad hoc, aut illud inclinantes. Verba eius capitis sunt: *Philosophi verò indubitanter asseuerarunt teste Hippocrate quod omnis substantia corporea animata iuncta sit, & ligata in Planetis, & signis, quatuor elementorum*

torum nexibus. Id est inclinata ex vi Planetarum, & elementorum dispositionum ad hanc vel illam artem addiscendam, ergò cæli dispositiones in nos illatæ, tum cum nostro temperamento in nobis operantur; tum prætereà inclinationes ad aliqua inducunt, non tamen necessitatem, vt planè ex eodem sancto constat eodem lib. c. 86.

84. En habes quo sensu legitimo accipias, *Oportet Medicum esse bene fortunatum* vt scias, præter notissimam fortunam, ac præ omnibus desiderabilem, quam à Deo immediatè, aut mediis Diuinis intelligentiis habere potest, illam etiam deberi in Medico exoptari, quæ ex peculiari cæli influentia simul cum temperie elementali pendet, præcipuè cerebri, vbi intellectus seu ratio, ad theoricam, & imaginatiua ad praxim resident, sic quippè naturam, ac inclinationem ad Medicinam consequetur facilèque arte & doctrina fortunatus Medicus fiet. Sic senties, & loqueris de medici fortuna ni mauis rudi, ac stulta plebeculæ cathachresi huc, illuc incertus peruagare affirmatóque simul sanitatis virtutem, & fascinandi potentiam siue à cælo, siue à peculiari temperamento, siue ab vtrisque prouenientem implicationem per naturam habere, nullique hominum per illam inesse posse, quia sententia illorum, quia asseuerant virtutes herbarum, lapidúmque (quibus contingit medicamenti conditio) alicui hominum inesse posse, delirantium sententia mihi est. Non attendunt Rhabarbari, aut magnetis temperaturam dispositionem naturalem esse, ad vtriusque formam in sua materia cuilibet inducendam, ac conseruandam, sed quis vel mediócri philosophia instructus non aduertit temperamentum vnius speciei alteri mixtorum omninò repugnare, quo ergo modo hominis forma posset in materia aut introduci, aut foueri naturaliter cum dispositione, quæ suam formam in lapide conseruat, quod quia manifestè rationi contradicit non est quod stylo duriori deleatur. Constat verò medicamentorum virtutes, vel temperamentum eorum esse, vel ab eo illas naturali dependentia foueri, repugnat ergo potentias rerum existere, vbi concomitans illarum temperies repugnantiam habet,

Futilia

Futilia fascini signa tanquam fallacia reyciuntur.

QVæ adducta hucusque contra fascini existentiam sunt sufficere mihi videbantur quo eius opinio ex hominum memoria deleretur, ne in dubij tamen extremo, scrupulus adhuc supersit, signa in medium adducere placet, quæ fascini sectatores Medici ad eius existentiam, & notitiam commentati sunt. Ex quibus non minori ratione, vanitas & inexistentia fascini constabit. Priùs tamen scito tria signorum genera à Galeno adduci, quibus ad morborum notitiam (quæ internis corporis humani passionibus coniecturalis admodum,inconstans ac abstrusa est) adquirendam quasi manu ducimur,vt planè ille docet lib. 3. de cris. cap. 4. illa verò sunt accidentium præternaturalium omnis species. Actio scilicet læsa, qualitas mutata, & exiens mutatum, prout sic communiter à Doctoribus cum Galeno diuiduntur. Ex quibus omnibus accidentibus sumi notæ possunt pro effectus notitia comparanda. Omnia verò hæc signa non necessariò morbum cuius sunt insequuntur, sed illa solùm quæ pathognomonica Græcis nuncupantur quasi passionis significatiua dixeris, quia certa solùm sunt sui affectus indicia, & vna cum illo inuadunt, eiusque vt ita dicam essentiam constituunt, audi Galenum de constitutione artis Medicæ cap. 15. *Sicuti rursus inter symptomata* (id est contrà naturam accidentia) *quædam necessariò affectionum differentias consequuntur, quædam sæpè, alia autem rarò, aliqua verò in ancipiti sunt. Ea itaque symptomata, quæ morbos ex necessitate consequuntur quod affectuum cognitionem afferant, Græcè Pathognomonica dicuntur, & ea ipsa pro certis morborum notis habenda sunt.* Quæ signa, cum omni, cum soli, cum semper suum affectum consequantur, ipso perseuerante separari nequeunt, quia eius essentiam veluti constituunt, vt Pergamenus ipse 3. de morbo vulgari 3. 34. Ergò cum fascini asseclæ signa nobis exprimunt, illius significatiua, pathognomonica esse tenentur,quæ scilicet aliis morbis, non conueniant, solaque fascinum necessariò insequantur, vt sic in illius ducamur notitiam. 85.

Quibus sic præmissis, inde etiam aduersariorum opinio im- 86.

 probabilitatis

probabilitatis conuincitur, vnde fascini cognitionem nobis attulerunt. Supposuit Carthaginensis, vbi sæpè tract. 2. fascinatorum signa illa esse quæ veneno infectis accidunt, dixit deinde in pueris illa esse, quæ illis eueniunt, dum ex corruptione ingesti lactis laborant. Protulit vlterius, potiùs illa esse in pueris, quæ, dum epilepsia cruciantur, demonstrant, iam aduertis inconstantiam. Cùm verò animaduerteret fascinum,ad prædictorum affectuum naturam reducendum,ni signa daret ab illis aliorum morborum distincta. Proinde cap. 3. conclusit quædam signa existere, quibus effascinati pueruli, ab illis,qui ob lactis corruptionem Epilepsiam, aut aliud damnum torquentur, dignoscantur, adduxit itaq; quædã quinario cõprehensa numero, primũ vitalis virtutis defectio, quæ ex debili pulsu raro, tardóque deprehendatur. Secundum conuulsiuus motus membrorum, ille scilicet, qui in epilepsia correptis apparet. Tertiò appetitus alimenti deiectio cum nausea aut vomitu. Quartum terror à somno, fletus, inquietudo, quibus nec nutricum lactiferæ mammæ, nec dulcis cantilena prosunt, nec parentum mulcebris delicia prodest. Quintum deiectiones lotiáque aut viridi, aut nigro aut lucido colore infecta, quæ omnia signa diagnostica, pathognomonicáque fascini Carthaginensi sunt, dummodò constet puerum conuenienti lacte in qualitate quantitatéque vti.

Fallaciæ arguuntur signa fascini relata à Carthagena.

87. QVantum verò fallibilis iudicij isthæc signa præseferant, ad fascini existentiam quisquam vel mediocri praxi Medica instructus animaduertet. Quid obsecro fallaciæ proximius, quàm venenati hominis signa pro fascinatis, nobis adducere, cum signorum congeries alicui morbo propria ac singularis, alteri ab eo conuenire nequeat, vt proximè Galenus docebat, si enim quispiam hominem bipedem definiat accidens seu signum hominis monstrabit, sed adeò cæteris animantibus commune, vt si alia definitio, aut signum illius non adhibeatur, nihilo expressius illa illum explanabit quam cætera bipedia animantia,

cum

cum quibus hominem confundit. Itaque Carthaginensis dum nobis fascinum signare contendit venenatum hominem in medium producit quem ad hunc vsque diem nemo fascinatum nuncupauit, nisi solus ipse, apud quem fides solum esse potest.

Sed quæ infantium promulgauit, nihilo magis fidelia signa videbuntur, nam quoad primum ille pulsus debilis, rarus (qui cordis facultatem deiectam præsagit, vt Galenus notat lib. 1. de differ. pulſ. cap. 6. & communiter Doctores) in ipsis pueris marcore, atrophia, aut maligna febri affectis inuenitur, vt frequenti experimento constat; potissimùm quando ipsi (quod etiam frequentissimum) lumbricos patiuntur, tunc etenim præter dictos pulsus, etiam epilepsiam (quam per consensum vocant) pati solent, similiter nauseam, vomitumque, & turbulenta insomnia, sed quo dubia magis ac inconstantia illa fascini signa reputentur, non alia lumbrici puerorũ præseferunt frequẽti experimẽto probata. Paulus lib. 4. c. 57. illa quinque indicia lumbricorũ infantulorum interanea affligentium adducit, præterquam pulsum debilem, cuius loco inordinatum consignat: at cum tabescentiam vniuersalem corporis addiderit ibi, pulsum debilem per essentiam intelligi videtur necessarium, eadem signa proponit lumbricis indagandis Vallesius 4. Epidem. comm. 125 sed præter non paucos duo præcipui extant Authores, qui de indiciis horum interaneorum animalium priuata expresserunt commentaria, vterque Hieronymus Gabucinus vnus, Mercurialis alter, ille cap. 18. eadem signa proponit, quæ Carthaginensis sui fascini adduxit ipsissima, iste lib. 3. de inter. pueror. morb. cap. 9. Sed hæc signa vbi adsunt, existentiam lumbricorum confirmant, fascinum verò signare solus Carthaginensis opinatur, credendum igitur illis est pro lumbricis, prius quàm pro fascino, quia illi abs dubio in natura extant, at istud nondum constat extitisse, verum potiùs repugnare; at verò si pathognomonica signa dum omnia simul extant morbo cuius sunt omni soli ac semper conueniunt, qua fiducia, illa eadem alium commonstrare possunt, ne dum vbi tot extant, ad fascini de medio sublationem, vt ex supremis constat. Neque implicat illa omnia signa, seu accidentia lactanti puerulo contingere, laudabili adhuc vtenti lacte, id quod videtur

88.

tur

tur Carthaginensi prærequiri, quo illa signa inseparabilia fascini sint. Cum frequenter accidat infantes affici morbo hæreditario, intemperamentoque ventriculi, aut iecoris, quorum ratione lac laudabile aliàs conspurcant, vi cuius prædicta symptomata patiuntur, in quo casu non insolenti, ridiculum esset fascinatum puerum præsumere, ni malit is author muliercularum opinioni inhærere; quæ affectus quosuis lactentium in fascinum ridiculosum, in refrigerationem, in ventriculi indigestionem reducunt, à qua irrationali opinione non dimouentur facile.

89. Sed & is Doctor eorum accidentium rationem reddere tenetur, cum illa à sua cælesti influentia pendere debeant, tanquam à causa effectiua illorum, velut humorum in nobis accensio, aut exustio, ab insolatione, aut immodico exercitio sæpè pendent. Illa qualitas, (fortè dicet) fascinatrix, & cælestis petens cor, eius potentiam debilitat, cerebrum afficiens epilepsiam commouet, ventriculum infestans, nauseam excitat & vomitum. Sed cur hæc rogo accidentia in fascinante eodem cælesti influxu affecto, non experiuntur? Quia infans (reddet) mollis, ac tenerrimæ substantiæ, illicò eius qualitas malignum effectum à fascinante patitur. Sed quare in fascinantis tenera ætate, aut eius in ortu, quando itidem tener, ac mollis illam influentiam recepit ab Astris, prædicta symptomata ac malefica signa, non adfuerunt? Vel cur etiam illa conspurcatus à primæua ætate ad grandæuam vsque, illæsus seruatur? Quippe naturale agens, quod celeri actione passum alterat, potiùs & priùs illud immutabit, cui insidet, longiori tempore. Neque resistentia fascinantis obstabit, & iuuabit obedientia subiecti fascinati, quippe applicatione suppletur continua quod resistentia maiori obstat. Namque *assiduo illisu durum cauat vndula saxum.* Deinde si supponit fascinatorum omnium signa esse, quæ venenatorum, iam constat huius falsitatis ipsissima experientia; nam qui febre pestilenti, aut maligna laborant, nunquam, vel rarissimè, ex vi veneficæ infectionis epileptici fiunt. Solent frequentius nausea aut vomitu corripi velut lotij & deiectionum pessimam notam habere. Sed in hoc potiùs confusionem fascini quàm notitiam adumbrari, ex proximè ad signorum firmam conditionem notatis, elucescit, vel si venenati sunt ij qui fascinati: iam de veneno pestifero,

Astrorum

Astrorum vi mortalibus eiaculato nulla est inter Doctores controuersia. Quorsum ergò fascinum illa pestis nuncupetur. Sed de hoc satis suprà discussum.

Infida Cardani signa expenduntur, & reijciuntur.

Hieronymus Cardanus lib. 2. de venenis, vniuersim signa fascini præsaga reddidit, omni scilicet fascinato communia, siue infantibus, siue grandioribus. *Fascini indicia* (ipse scripsit) *sunt color malus, oculi tristes, & demissi cum lachrymis, aut nimium sicci, suspiria aut cor triste, vigiliæ, insomnia mala, macies in toto corpore.* Ab externis signa etiam notauit, quia isthæc addit. *Et hyacinthus rubens & corallus, in fascino, impallescunt, nitorémque amittunt, & si annulum digito immiseris ex asini vngula, fitque latior post aliquot dies, fascino, vel veneficio affectus est.* Hæc ille in quibus ad fascini existentiam, maior quàm in præcedentibus signis fides non habetur, namque priora signacula eis hominibus, qui melancholia aliqua laborant, continuò insunt; vt præter Galenum lib. 3. de locis Paulus notat lib. 3. cap. 14. quos Altomarus, & Mercatus insequuntur. Aëtius prætereà tetrab. 2. serm. 2. c. 29. iisdem notis affectum melancholicum exponit, addens lachrymas motumque conuulsiuum. An credes signa Cardani firma esse quæ alium frequentissimum morbum continuò insequuntur? Sed prætereà omnia illa accidentia, in causam frequentem naturalem reduci facillimo negotio possunt, vt nullum Medicum latet, quorsum ergò in raram occultamque, & incognitam refundere placet Cardano? 90.

Porrò quæ de Hyacintho, & Corallio refert, quæ de illo annulo & de asini vngue, Iulium appellant Scaligerum, qui subtilem hanc obseruationem expendat. Sic iste lib. 15. exoteric. exercit. 113. illi respondet, *de gemmis quæ referuntur à te miracula, neque credere, neque refellere statutũ habeo, sed si qua minus naturæ consentanea exciderunt, tibi sanè sunt animaduertenda.* Tenetur ergo Cardanus rationem reddere tanti gemmarum detrimenti, ex contactu fascinati. An illud est, quia ob vapores pessimos gemmæ illæ infi- 91.

ciuntur? Sed iam hîc dubium redit de speculo è menstruata conspurcato. At velut ex isto casu existentia fascini non infertur, vt suprà hoc dubio à n. 6. latè probabam, sic hyacinthi, aut corallij detrimentum in colore, in perspicuitate argumentum fascini non erunt. Vel si ab illo principio prædictæ gemmæ nō alterantur à se ipsis exanimari putari posset. In hoc casu antipathiam fatebitur Cardanus inter qualitatem fascinati veneficā, & lapides illos. Credamus comiter; sed etiam affirmare debet idem periculum subire dum fascinatores exornant illæ gemmæ, hoc verò non obseruat. Omnia tamen hîc supposita solùm Cardanus experitur, nos verò nihil prædictas gemmas tale pati in venenatorum contactu in febrientibus malignè experimur; & eò efficaciùs isthæc conuincunt, quò certiùs supponit gemmas illas, asinique vnguem illo modo immutari in veneficio affectis, ac in fascinatis. Cum ergò experimentum in illis non constet, in istis falsum reputabitur, vel si denique in veneficio, affectis adeò gemmæ illæ conturbantur, qua ratione fascino signa fidelia erunt. Latitudo illa quam annulus ille acquirit omnem rationis latitudinem exuperat. Miraculum redolet naturæ quod latitudinem ampliorem assequatur absque vlla partium vnguis, vel intus vel iuxta positione. Iam fascinum asinis saltim vtilitatem adducet, cariem vnguium illis adimplens, etsi nutritio illis non sufficiat. Sed non puto Cardanum hoc suprà naturam fieri putaturum, sed quod fascinatus, vt per corpus, per digitos tabe attenuetur; tunc annulus latior, ac expeditior digitum præcinget. Monstruosus tamen is euentus, ne dum asininis ex vngue annulis, sed ex auro, aut vitro confectis accidet: absque admiratione, sed & absque fascino, adeò, (vt cum Scaligero finiam, vbi proximè) *attentus fuisti nugis horum circulatorum, qui præstigias pluris quàm gemmas vendunt.*

Aliorum notæ fascini notantur vt incertæ.

92. SVnt qui suum fascinum sic cognoscunt, si fascinatus desiderat in lecto iacere, est sollicitus & curiosus, & nescit de quo suspiria habet spatiosa, angustias patitur, in corde stricturam, non conferunt medicamenta solita iuuare, frigent modò, & modò calent;

calent; confricant frequenter manus, audiunt acutius solito. Sed signa hæc eadem sunt cum eis quæ numero 89. sunt relata, vnde eodem modo, & iure reiicienda; nec desunt alij qui istæc addunt. Solent Persæ, quo fascinum propalent, apponere capiti patientis, linteum lotio eiusdem imbutum, quoniam permittunt super caput exsiccari, inde considerant in linteo, an maculæ quæpiam appareant, tunc maculis visis, patientem prædicant fascinatum; at pannum lineum requirunt omni sorde expertem. Alij fascinum explorant, si lachrymæ sunt salsæ, sunt amaræ, fluantque inuoluntariè. Quibus signis illud addit Ioannes Ildephonsus, si febris abesse constet. Denique fol. mihi 209. sic scripsit. *En esta villa de Alcala de Henares ay vn hombre, de quien no solo el vulgo, sino es personas graues de letras tienen tan reciuido conoze este mal, y enfermedad, que en hauiendo sospecha del acuden como a oraculo para el conocimiento y cura.* Et infra. *Y yo le rogue, vn dia me dixesse que señales tenia aduertidas, y sus Padres* (nam & Auum & Patrem tali prærogatiua donatos credidit sua ætas.) *para conozer este mal; respondio que demas de las referidas miraba mucho en dos, la vna era que tendiendo muy parejo y ygualmente al enfermo boca arriua no emparejaua el pie izquierdo al derecho sensiblemente. Y dezia era la razon, porque como aquel mal coxia el corazon estaua todo aquel lado, como temeroso y recogido, y assi ni los dedos de la mano izquierda emparejauan, ni ygualauan con la derecha.* Et inferius. *La segunda señal particular que dixo el labrador tenian los aoxados, eran vnas pintas, y señales en los ojos differentes en color del cuerpo del oxo.* Quamuis de hoc vltimo signo dubius redditur prædictus Complutensis, an operâ naturali, an diabolica fiat, id quod dubio 2. n. 9. retuli, fietque illi satis dubio 6. sequenti.

Quàm infida sunt hæc, quæ Ioannes Ildephonsus connume- 93.
rat fascinatorum signa iam credam putauerit, qui vulgarium hominum commentitias fabellas calluerit, quia Persarum illa experimenta futilia esse superstitiosaque obseruatione retineri toto animo crediderim, vnde illa mihi nihili reputanda, quippè si fascinati lotium secum semen fert veneficæ humorum infectionis, quid refert super caput patientis exsiccetur, an sub aëre; an sub sole; vel quid mirum linteum lotio quouis conspurcetur, quod excrementum, sanguinariæ massæ cum sit, tingere lintea non

ineptum

ineptum est. Sed demus in linteo supersint illæ maculæ, quid nam si naturalem causam consulamus, aliud reputare possumus, quàm portiones quasdam crassiores, quæ ex lotio derelictæ, quia viscosiores, quia intimius imbutæ à calore exsiccari, aut à siccitate absumi nequiuerunt. In hoc verum enim verò quid ad fascini cogitationem adumbrabitur? Sed non est quod isthæc cursum vtiliorem remorentur. Minoris habeo illud lachrymarum signum, quia si inuoluntariè fluant cur fascinum præsagient. Hippocr. 4. Aphor. 52. lachrymas inuoluntariè fluentes, absque antiquo capitis affectu vt Galenus in phrasi explicat, signum esse in quouis acuto morbo horribile prænunciat. Si ergo in morbis quibusuis periculosis, inuoluntariæ lachrymæ periculum adaugent, quo iure *fascinum* illæ præsagire poterunt? cum solum symptoma sit, & nota lethalis extinctionis contentiuæ capitis, aut oculorum virtutis, consulito Galenum in comment. præmissi Aphorismi & 1. Prognosticor. 10. ergò illachrymare inuoluntariè in periculosis morbis non solum morbi conditionem, aut peculiarem naturam designat, sed prauum exitum eius affectus acuti, in quo illachrymatio contingit. Omitto affectum capitis frigidum quem lachrymarum fluxum symptoma in excretis sequitur omnis suspicionis fascini expertem. Iam quod lachrymæ sint salsæ, sint amaræ, aut insipidæ, nullum aliud signare poterunt præter humorẽ ex quo fiunt. Legito practicos de Epiphora, id est lachrymarum fluxu agentes, omnes audies vnà affirmantes, lachrymas salsas ex salsuginoso humore, ex bilioso, amaras, ex aquoso insipidas profluere. Ergò lachrymarum gustus, humorem à quo dimanant prænunciant, non verò alicuius morbi singularem naturam. Sed hæc asseuerantes, fascinatos credam, id est incantatos, ne mente captos dixerim.

94. Conuertor ad illum Complutensem Agricolam, quid de illo dicam, an id quod aliquando prudens meus Magister Complutensis Gonosalius, ad grandem Hispaniarnm infantem Ferdinandum dixit? *Sic inscitos nescia plebs scit, sic scitos nescit.* An quod aliàs alter etiam Complutensis Vallesius loco de sacra Philos. toties signato cordatè aduertit? *Si autem hæc est fascinationis ratio, quiuis facile intelliget fascinationem esse superstitiosum quendam timorem, ex stulta credulitate profectum, eiusmodi sunt quàm plurima alia*

alia in hominum vita, argumento est, quod mulieribus, magis quàm viris, & viris indoctis magis quàm peritis probatur ea opinio. Tametsi video in ipsis etiam doctis esse, qui quadam ambitione omnia quæ vulgus miratur tueri curant subtilitatis magis quàm veritatis amatores. Vnde iudiciarij Magipræstigiatores, & secretorum periti haberi volunt. Quorum ingenia ego nunquam fascinabo. O pulchra verba isthæc audiens, quis fascini protectores garrulos aut istorum asseclas sustinebit. Sed obseruationes pensemus,& primò pedem fascinatorum sinistrum cum manu & toto è directo latere retrahi,prius imaginationem quàm rem esse putarim, deberet idem accidere in febre maligna, in pestilenti, in subito timore, in mœstitia, & aliis huiusmodi cordis affectibus. Deinde cur potiùs sinistrum quàm dextrum cordis, & corporis latus retrahitur, æquum quippè est in thorace cor, vtrinque œconomicũ pariter libratur, neque id Ioannem Ildephonsum præterit, cum sit Galeni assertum anatomico experimento continuo constans lib. de vsu partium 6. c. 7. cor in thoracis medio consistere. Quod si obiicias oculatam cordis ad sinistrum latus explicationem. Respondet Pergamenus ipse 7. de anatom. administrat. 7. duplici causa illud fieri, tum propter sinistrum eius membri sinum spirituum vitalium officinam. Tum quia eius vertex ad sinistram quoquomodo deflectit regionem. At verò ipsum æqua lance distat in Microcosmo acceptionem partium abhorrens, æqualiter omnibus pro singularum ministerio vitam distribuens. Vnde non est ratio quæ illam sinistri lateris retractionem suadeat, si ob inde fieret,quia cor afficeretur.

Vlteriùs, illa retractio ad eum affectum quem medici conuulsionem vocamus reduci debet; at verò hanc passionem musculorum esse Galenus supponit 2. de symptomat. causis c. 1. & lib. 6. Aphorism. comm. 39. & cum eo communiter Doctores. Sed cor musculus non est neque ab eo musculi aut nerui ortum habent, vt nullus erit qui inficias eat. Nulla ergò ratione propterea quod cor præcisè afficiatur, aliqua pars musculosa retrahi debet, daretur aliàs conuulsio in febre maligna in peste,quod nusquam hactenus experti sumus. Prætereà retractio illa fit in latere sinistro, quia illæ partes sinistræ in præsentia qualitatis fascinatricis veneficæ,timidæ, & timore retractæ quasi fugiant aduersarium, 95

recõduntur ad interanea corporis, ad cor ſcilicet. Sed bone Deus potiùs deberent extra illud ire quia cor per iſtos vbi latet anguis eſt, inde vniuerſa membra ominantur, quorſum ergo interanea corporis, aut cor faſcini ſedem appellant aut appetunt? Deinde illa retractio, vel eſt voluntaria, vel præternaturalis in genere ſymptomatis actionis læſæ, vt eſt communis Medicorum ſententia. Non primum, quia omnis actio voluntaria in nobis præcedente cognitione fit alicuius obiecti. At faſcinatorium virus non eſt à faſcinato aliquo externo ſenſorio perceptum quod neceſſarium eſt, ad cognitionem potentiarum interiorum, vndè nec actus ſequetur appetitus motum illum voluntarium excitans. Non ſecundum, quia motus ille deprauatus quo mediante retrahuntur illæ partes à ſolo morbo fieri ſuppoſuit Galenus loco de ſymptom. cauſis proximè citato, & Hippocrates loco aphoriſ. aut repletione (quæ morbum malæ conformationis conſtituit) aut inanitione (quæ intemperiei contingit) fieri affirmat. quæ ergò materia humoralis in faſcinato partem ſiniſtram repleuit vt conuulſionem excitaret? Sed hanc paſſionem, dirum cruciatum, & dolorificum maximoperè inſequi experitur, quæ accidentia tunc non reperiuntur, quia illa non referuntur, ergo ex repletione illa retractio non fit, præcipuè cum iſtos potius macie conſumptos, quàm repletione plethoricos exiſtere affirmarint.

26. Si verò inanitione illa retractio fit, quæ cauſa tam ſubitò illud latus abſumpſit? cum febrem abeſſe ſupponatur. Neque ratione conſtat, cur partes potius ſiniſtræ quàm dextræ conuellantur. Demum quia irremediabile malum exiſteret, quia conuulſæ partes exinanitione incurabiles reddi conſtat in vniuerſa Medicina. Omnes ergò faſcinati ſuperſunt conuulſione notati. Vel omnes huiuſcemodi conuulſi faſcinatos fuiſſe affirmaretur. Sed vtrumque merum figmentum apparet, adiecit his Mercurialis 1. de morb. pueror. c. 3, ſi nullis remediis naturalibus, nulla arte macies ſuperari poteſt, at macies, quæ arti & doctæ manui medici non cedit, ſolùm ſignificat, incurabilem eſſe, non verò ex hac aut illa cauſa ortum habuiſſe, quia conſumptio partium in hectica tertiæ ſpeciei, & in ea quæ ſenectutis appellatur, vel in ea quæ ex obſtructione membrorum nutritionis oritur incurabilis eſt, nullis remediis naturalibus ſuperatur. Sed propter hoc

præcisè quod non superetur non proinde latet ex qua causa illarum quælibet pendeat, incurabilem ego esse maciem, non arguit fascinum. Addit alterum. Si prædictæ extenuationis (inquit) nulla alia sit causa neque interna, neque externa, nec ex parte nutricis, neque infantis, tunc arbitrantur, & dicunt eos esse effascinatos. Ego non arbitror defectum causæ naturalis in morbi arguere fascinationem, sed maleficium, neque ipse Mercurialis, vt expendo his signis assentitur cum scribat, *arbitrantur*, *& dicunt* quasi alius, non ipse dixerit. Ex quibus omnibus hucusque relatis signis constat fascini authoribus signum eius quærentibus id ipsum quod iuuenibus accidisse. Quid hoc? quod scilicet in Patria aliena signa rerum fingunt quæ nec per somnium cogitarunt.

Non est demum cur in reiiciendis varijs fascini curationibus oleum perdamus, omnes quippè inuenies ad aliorum morborum malignantium, aut pestilentium conditionem reductas, alienum remedium disquirentes, quo fictitium malum nobis ostendant aliæ suffitu fiunt, verborum aliæ cantatione aut incantatione, benedictione aliæ, quas etiam suprà hoc dubio num. 1. referebam. Sed omnes superstitiosam redolent ignorantiam. Valeant ergo ij Apochryphi, valeant asseclæ, absit à vero & Catholico Philosopho fascinationis opinio strages veræ medicinæ, Christianæque Religionis labes, cruciat multos quod multi Doctorum philosophantium fascini existentiam crediderint, scio tamen aliquos quos vulgus veneratur haud magna in re quandoque cæcutisse. Hos semper carpsi, & carpam quamdiu vixero. Compellor enim amore veritatis, non odio eorum; recedat (iterum exclamo) *fascinum* ab animis Peripateticorum, malum puerorum, timor Idiotarum, Aristotelicos & Hippocraticos extollo, qui imposturas, supplantationes, superstitiones, & innumera deliramenta, quæ medicastri, aut Pseudophilosophi, mulierculum, & homunculorum mentibus offuderunt, iure toto animo execrantur, cauteque fascinum, velut anguem virenti Philosophiæ syiuæ, florenti medicinæ, horto latentem præcauere sic asserunt. 97.

Dvbivm V.

Datúrne Fascinum diabolicum? Fundamenta affirmantium referuntur.

1\. CIrcà quintum annotato dubium hoc appendicem proximi esse ni aliquorum oscitantia illud detruncasset, quippè fascinum diabolicum, vsque adeò aliquibus verum existit, vt qui huic sententiæ diffidat, paradoxicus, ne dicam de fide suspectus ipsis habeatur; non habent tamē his quos proferant huius sententiæ Authores, est nihilominus illis opinantibus hoc assertum receptissimum, putantibus sententias inferiùs referendas de nullo alio exponi posse, quàm de fascino diabolico, in stricto & rigoroso sensu receptas, sed quod miror magis id est, quod cum illorum plures, non desint, qui mihi dubio anteriori assentiantur; at fascinum diabolicum nihilominus admittendum pleno ore affirmarunt. Quibus potissima ratio est. Quia Dæmon communis generis humani hostis, irrequietus agitatur, quo nostram perdat salutem, id quod Delrius probat ex illo Geneseos 3. *Inimicitias ponam, inter semen tuum, & semen eius.* inimicitias dicens, quasi omne inimicitiæ genus, quia propositio indefinita, æquipollet vniuersali, dum in materia existit necessaria, quia Dæmon omne nobiscum odij genus contraxit, & vt eleganter præfatus Magister. *ponam bellum irreconciliabile.* Cuius orthodoxæ veritatis fundamentum latius probat, & prosequitur Moura vbi sæpè sect. 2. c. 1. ex illo Diui Marci c. 5. *Occurrit de monumentis homo in spiritu inmundo*; sic scribens. *Ex quo apertum fieri videtur dæmonem plus expetere maiorique in pretio habere corpus humanum torquere illóque mortuo saginari, ac volutari, quàm omnibus mundi Regnis potiri* Hæc ille num. 19. vt hinc, velut ex innumeris sacræ lectionis locis inferre liceat pessimum hunc spiritum omni ingenio affici, nostræ salutis etiam corporalis destruēdæ omni morborū labe, ne dum fascino, & quidem ipsum infamem hostem nobis posse omne ægritudinum genus inducere applicitis, vt fertur

actiua passiuis, vt plusquam certum supposuit iam iam communis Philosophorum, Theologorum ac Medicorum opinio cum Angelico Præceptore 1.p.q.111.art.vlti & q.16. de dæmon. art. 9.& ex nostratibus consulito præter alios super hoc Valles.lib. de sacr.Philosop.c.7.15.& 28.Carrerum disput.13.de locis c.8. Petrum Pipernum lib.singulari de magicis morb. per totum, super quo latiùs hoc opere dubio vltimo.

Ex quibus, & ex subsequentibus inferunt præmissi opinantes fascinum dæmonis opera illatum indubitabilem mereri possibilitatem,& de facto in pluribus non raram existentiam. Probantque singulariter ex illo Sapientiæ c.4.& Diui Pauli c.3.superiùs dub. 3 relatis: in quorum phrasi aliqui Patres, de fascino à dæmone illato loqui videntur. Tertullianus sic. *Nam est etiam aliquid apud Ethnicos metuendum quod fascinum vocant, infeliciorem laudis, & gloriæ enormioris euentum, hoc nos interdum de diabolo interpretamur.* Diuus Hieronymus sic. *Quia potest fieri vt & dæmones huic peccato seruiant.* D. Thom. sic. *Et hoc etiam per dæmones potest fieri, qui habent potestatem mouendi phantasmata, & reducendi ad principia sensuum, ipsos sensus immutando.* Delrius sic. *Hæc conclusio probatur authoritate Diui Hieronymi, & aliorum Doctorum iam citatorum. D.Th. Abul. Ferrar. Suar. & cæterorum Theologorum laudatorum probatur experientia quotidiana, & confessionibus sortiariorum.* 2.

Secundò quod fascinum diabolicum veritatem obtinere videatur, expressum videtur apud ipsum etiam Angelicum Doctorem, q.117. 1.partis toties citata, vbi sic habet. *Possibile est etiam quod ex Dei permissione, vel etiam ex aliquo pacto occulto cooperetur ad hoc* (ad fascinum subaudi) *malignitas dæmonum, cum quibus vetulæ sortilegæ aliquod fædus habent.* Ex quibus verbis duplex fascini diabolici conditio per hos opinantes adumbratur, vnum quod fit sola permissione Diuina libera malefici alicuius voluntate ad ipsum opus diabolicum haud cooperante: aliud dicunt, hac ipsa voluntate media ex vi pacti cum dæmone initi. Ergo probabile videtur fascinum diabolicum saltim admittendum, nec vulgari trutina, sed docta, & classica statera.

Excluditur illa opinio, eligitur verior.

3. HIc & sæpè aliàs illud Galeni 8. de comp. Med. secundum hoc mecum mussare soleo. *Falsæ etenim opiniones animas hominum præoccupantes non solum surdos, sed & cæcos faciunt, ita vt videre nequeant, quæ aliis conspicua apparent.* Id dixerim ob pertinacem ipsorum opinionem, qui adeò enixè affirmarunt fascinum diabolicum, sine erroris nota, aut rudi interpretatione sacrorum Patrum negari non posse. Cum tamen luce clarius monstraturus sperem fascinum diabolicum impossibilitatem omnem habere, atque sacram scripturam, & Doctores ibidem ab his opinantibus sinistrè interpretari, ne lippientibus oculis, dixerim; neque hoc quidem vltimum ex proprio Marte monstrabitur, sed grauissimorum Theologorum sententia, ne calamum intimius misisse videar, quàm iuris nostri dictio consentiat. Nequeo tamen non aduertere inscitiæ, ac ruditatis eos arguendos, qui vbi primam supponunt thesim, hypothesim, quæ ex illa pendet deducere ignorant. Dixere plures fascinum naturale vndique ipsissimæ repugnare veritati, propter dubio anteriori à me, & ab aliis conductas rationes. Dixêre deinde fascinum diabolicum omnem possibilitatem, & non raram existentiam habere. ô (dicam) insensati Philosophi, quis vos fascinauit. Vt nesciatis ex certo antecedenti, illationem legitimam pendentem colligere; sed auscultate. Dæmon propria virtute nequit transmutare materiam corpoream, nisi adhibeat illi actiua proportionata effectibus quos intendit, sic suprà est suppositum ex Angelico Doctore, cum communi Theologorum plausu, sed implicat omni modo per vos agens naturale fascinare aptum, ergò & quod dæmon fascinationem operetur. Id quod confirmare placet. Dæmon eo ipso comburit (vt exemplo vtar) quia combustiuum in natura adest, at dato quod istud per illam implicaret, aut deficeret, quonam modo dæmon ignitionem operaretur? at non est agens fascinatiuum, qua ergò virtute fascinabit ille? Quo instrumento? Si & hæc & illud nec in abditissimis naturæ arcanis reconduntur.

conf. Christ. Froman tract. de fascin. p. 456, p.

Fit

Fit satis oppositis. Scripturæ sacræ & Patrum testimonia ad verum sensum exponuntur.

4. EX his habes quomodo illi qui naturale fascinum negantes, diabolicum concedunt fascinati propriè redduntur, id est incantati, nunc verè Philosophi, nunc Pseudo-Philosophi apparentes, nec satisfacere eis, qui locum sapientiæ, & D. Pauli, & aliorum Patrum adduxerunt, erit multum operosum. Si quæ dubio 2. scripsi repetam. Fascinum scilicet apud gentes esse quoddam incantationis genus, quo homines ligati & quasi libertate carentes credebantur, sed hoc veneficium diabolica fraude illatum *fascinum* vocabant quod incantationis nomen significat. qua nominis significatione retenta vsus Apostolus scribit. *O insensati Galatæ, quis vos fascinauit* id est quis vos fascino suæ deceptionis incantauit, vt Moura interpretatur, vtitur Paulus Metaphora, sed propriissimè erant Galatæ, nunc denuò ad Christi veram legem per Apostolum conuersi, & vt rudes vitam æternam sine lege Mosaica etiam retenta consequi non posse putabant, vt idem aduertit Lusitanus: scripsit ergò. *Quis vos fascinauit*? id est quis vos incantauit? incantatus quidem, quæ reuera non sunt, tanquam si existant, videre putat, & quæ sunt, tanquam si non sint. Fascinatos ergò Galatas arte dæmonis dicit Paulus (vt notat Moura sect. 2. c. 2.) eo quod illius per pseudo-prophetas fallacia Christiani cum fuerint Iudæorum figuram simul induerunt. Hinc velim mille encomiis Pauli locutionem extuleris; quid erudiendis rudibus accommodatius? quid docendis ignaris vtilius? quàm sui ipsorum vsitata vti sermocinatione? *non quod scierit esse fascinum*) dixit Diuus Hieronymus) *qui vulgò putatur nocere, sed vsus sermone sit triuij, & vt in cæteris, ita in hoc quoque loco verbum quotidianæ sermocinationis assumpserit.* Quid clarius? Vt inde 5.
etiam constet Sapientiæ locum, velut & D. Pauli non intelligi de fascino vulgi opere diaboli patrato, sed de illusione, aut ludificatione sensus ab ipso nefando hoste, qui hominum mentes turbare intendit quo bona obscuret, & à via æternæ salutis deuiare faciat,

faciat; quæ mentis turbatio, quæ diabolica illusio doctis ac peritis non fascinum dicetur, sed incantamentnm; audi Mouram. *Ego magis ad literam arbitror Paulum allusisse, ad incantamenta, quibus arte dæmonum homines, & animalia interdum, ita realiter immutantur, vt ijdem qui antea erant manentes, nouam induant figuram, vt D. August. in lib. de Ciuit. Dei, & alij multorum exemplorum meminere. Fascinatos igitur Galatas dicit Paulus, eò quòd illius per Pseudoprophetas fallacia Christiani cum fuerint Iudæorum figuram simul induerunt.* Id quod apertius Lusitanus ipse n. 43. super illa verba eiusdem Apostoli, *ante quorum oculos Christus proscriptus est*, expressit ibi, *Vnde poterit esse facilis sensus, ante quorum oculos Christus incantatus est. id est in oculis vestris Christus ipse est quædam confusio, mentisque obiectum alienationis, modò Dei filius, verúsque Messias, modò purus homo Pseudóque propheta apparet. Operuit confusio faciem meam. Psal. 68. vers. 8. in oculis nempe istorum; quod est aliud incantationis, & fascini genus.* Quo clarè constet sacram Scripturam, & D. Paulum per *fascinum* incantamentum seu mentis præuaricationem dæmonis industria intellexisse, vtentes vulgari eius ætatis hominum locutione, consulito Vallesium lib. de sacra Philosophia c. 3. qui alius in exponendis aliis huius census sacræ lectionis locis à nobis non est; neque qui prædicta sacra verba, de fascino naturali prout contagium morbosum significat interpretantur ad verum sensum, nec Patrum iudicia accommodari sine falsitatis nota possunt.

6. Adaptatur etiam Sapientiæ locus, ad adulatoriam, ac nugatoriam adulationem canino dente nocentiorem, quæ clara nitidáque ingenia nescio qua pessima labe conspurcat, obinde sacer spiritus *fascinatio nugacitatis obscurat bona.* Hoc est (interpretatur doctus Mendoza) nugatoria adulansque laudatio mentem euertit bonósque mores corrumpit. Quæ propterea Patres illi venerabiles dixere non negabo, fatebor tamen ipsos intelligendos in sensu hactenus exposito, non de fascino opere dæmonis inducto, sed de sensuum illusione, aut incantamento, quod abusiuè eis hominibus fascinum dicebatur, audi Diuum Thomam. *Propriè dicit Apostolus, quis vos fascinauit? quasi dicat vos estis sicut homo ludificatus, qui res manifestas aliter accipit quàm sint in rei veritate.* Quæ consonant his, quæ dub. 1. n. 2. ex eodem sancto

transcribe

transſcribebam, auſculta Diuum Hieronymum, *Nunc illud in cauſa eſt, quod ex opinione vulgi ſumptum putamus exemplum, vt quomodo tenera ætas noceri dicitur faſcino, ſic etiam Galatæ in Chriſti fide nuper nati, & nutriti lacte, & ſolido cibo velut quodam faſcinante ſunt nociti.* Hæc Sanctus, ni malis intelligi prædictos Patres de morbis paſſim, ab hoc peſſimo hoſte, nobis permiſſione Diuina illatis mediis actiuis naturalibus, vel de aliquo pacto cum Dæmone vt Magiſter Fr. Raphaël cum Angelico Præceptore probat aſſertione tertia. Omnia tamen hæc abſunt à faſcini diabolici exiſtentia reali, aut poſſibili ſed metaphoram redolent, morbos tamen à Dæmone illatos quod attinet dubio 8. ſequenti latiori calamo expendere licebit.

Authores verò quibus faſcinum naturale plauſibile eſt enixè contendunt proinde illud ponendum in natura, quod ſacra Pagina, Patreſque de eo loquantur, ſit bene metaphoricè, quia iam videntur ſupponere in natura rem, ad cuius inſtar, mentis turbationes, illuſiones, incantamenta, *faſcina* nuncupari poſſunt. Quia metaphora (dicunt) tranſlatio eſt ſignificati proprij alicuius rei, vel nominis ſemperque extare in natura debet, vel res, vel nomen, cui verè tranſlatio illa conueniat; licèt cæteris per metaphoram, ſic riſus verè hominis actus eſt, tranſlatitiè prati, pes vera animalis pars, metaphoricè montis, ergò quamuis diabolica noſtræ rationis illuſio, offuſcatio, aut verba adulatoria, hominum more *faſcinum* abuſiuè aut metaphoricè nuncupentur, debet nihilominus analogia iſta ex re aliqua, quæ *faſcinum* verè conſtituat transferri. Extat ergò in rebus *faſcinum* naturale, exiſtétque conſequenter quod diaboli opera fiat. Mihi tamen certius eſt ad metaphoram haud requiri rei, ad cuius inſtar comminiſcitur realem, aut poſſibilitatem, aut exiſtentiam. Sat quippè eſt commentum vulgi illa ſit, damnatum omni ratione iamdudum eſt gentilium *fatum* tanquam humanæ libertatis deſtructiuum, atque impiam neceſſitatem in liberis potentiis admittens. Sed ſi hominibus imperitis alloqueremur ſuadentes attenta debere illos vti ratione, iuſtitia, & veritate, quia inſcij illi ſint quo fato degant; non proinde illud fatemur, ſed vulgi phraſim retinentes ad vtile ac bonum ſuademus ſua ipſorum ſermocinatione vt D. Hieronymus aduertit, vtentes. Auſculta Doctorem 8.

R Sanctum

Sanctum ibidem, qui quasi argumentum in quo versamur, ageret, sic respondet. *Quod si aliquis contradicit exponat quomodo de communi opinione sit sumptum vallis Titanorum in Regnorum libris, Syrenæ, & Onocentauri in Isaia, Arcturus, & Orion, & Pleiados in Iob, & cætera his similia, quæ vtique vocabula gentilium fabularum, & causas, & origines habent.* Isthæc Diuus Hieronymus.

Audi demum. Duo grandes Iesuitæ Celada in Iudith cap. 16.
8. num. 8. ad litteram §. 1. de hoc argumento sic habet. *Nemo tam amens, & truncus erit, qui dum audiat fabulas ex Iudithæ ore diuini spiritus instinctu, indubiè afflato: inde existimet figmenta approbare, hoc enim erat mendacium verum facere*, erat phrasis ad illa verba, *nec filij Titan percusserunt eum, nec excelsi Gigantes imposuerunt se illi.* Ioannes Eusebius in Philosophia curiosa lib. 1. cap. 13. sic scribit. *Los Padres de la Yglesia S. Clemente. San Ambrosio, Cyrillo, Zenon, Tertuliano, y otros apoian contrà los gentiles nuestra resurreçion con el exemplo del Aue fenix no porque a credita sensu historia, sino por la credulidad que es vulgò de los gentiles tenia della.* Demum cum cap. 14. adduxisset quædam Christi Domini verba ad Beatam Brigittam, in quibus Redemptor noster eius volatilis meminit sic concludit. *Mas esto no conuenze, porque muchas vezes, quando nos habla Dios se humana y acomoda a nuestro modo de dezir, y aprouecha de nuestra creencia, y opinion, para vsar de alguna comparacion, para loqual poco importa su existencia, que si es verdad serà exemplo y sino parabola.* Quid vlterius vt inde aduersarij habeant, frustra in rebus ad analogiam recurrere, quæ in humano figmento sufficiunt, existant, itaque sacer textus, sacrique Patres dum vocis *fascinum* meminere, eius existentiam, non approbant, nedum diabolicam, vt ex dictis euidenter constare videtur.

DVBIVM VI.

Contraeuntibus dubio secundo satisfit.

Irridentur superstitiosa Gentilium de fascino opiniones: commentum Problematis 34. sect. 20. Aristotelis circa fascinum adducitur.

Circa sextum annotato nullam de gentilica fascini opinione veram Philosophiam profitentibus ne dum catholicis curam habendam, vnde non est cur in reiicienda illa illorum Barbarorum superstitione arena absumatur, quid ridiculum magis? quid inanius? vel potius quid miserabilius illis mendaciis dub. 2. n. 1. & 2. relatis? quæ Venus? quæ Iuno? quis Priapus? quis denique Bacchus? absint à Catholico Philosophantes, *hi quorum crimina notoria sunt, quam nomina*, vt ex Diuo Gregorio Nazianzeno notat Victoria in Proloquio ad Theatrum Deorum gentil. exsibilanda ergò venit vana illorum cum suo Priapo Religio nefandáque idololatria, & quos Alexipharmacum in fascinum quærentes audimus, fascino, aut incantamento ipso detentos credamus: vetus mos apponendi etiam vsque in hanc lucem ficam ex lapide Gagate ex auro aut argento infantum collis dub. sequenti num. 5. expendetur. 1.

Nec Philosophorum summus Aristoteles fascinum eo Problemate num. 3. citato supposuit imò neque illius meminit, si antiquam versionem apud Aponensem retineamus, quæ sic habet. *Propter quid rutam, aiunt, odibilem Pharmaciam esse? aut quia fastidire videntur vehementer comedentes, aut ferentes quasdam difficultates, & circa oblata suspiciosè se habentes eligunt.* Vnde suspecta redditur noua Gazæ versio, quæ sic transfert. *Qua causa rutam fascinationis remedium esse aiunt? an propterea quia effascinari se credunt, cum aut veraciter edunt* &c. quanta verò inter has versiones identitas sit, nullus est qui non videat, quia rutam fastidiosum

Pharmacum esse vt antiquus interpres vertit, manifestè constat: idque non solum exteriùs adhibita, sed & potiùs interiùs assumpta, sed hæc versio nonnè est eadem cum illa, in qua Gaza vertit, *Propter quid ruta fascinationis remedium sit?* alter id assequetur, quia ego Dauus sum nō *Oedipus* putarim nihilominus deceptum Gazam fuisse (pace quod dixerim Græcarum literarum doctorum) quamuis eius versio plausibilior accipiatur, præcipuè cum Petrus Aponensis eius nouæ versionis haud meminerit dum Problema illud commentatur, vel si mauis Gazæ translationem retinere, opinor Aristotelem non ex propria sententia, sed ex vulgi opinione loquutum, dixit quippè *qua de causa rutam fascinationis remediū esse aiunt, an propterea quia tunc effascinari se credūt,* &c. vbi notanda illa *aiunt, credunt* quæ aliorum non suimet sententiam redolent, id quod probabile satis fit, si expēdas in nullo eius sectionis problemate illis verbis, aut similibus Stagyritam vsum præterquam in hoc 34. in quo videtur ex aliorum opinione non ex propria loquutum.

5. Sed liceat mihi parumper in phrasi huius problematis versari quo notiùs habeatur fascinum fallaciam vulgarium, aut imaginationis figmentum esse, apparet in litera superstitiosus mos, qui adhuc hanc ætatem habet etiam nunc hominum aliquos aduerte, qui cum fortè pancraticè habeant integráque fruantur sanitate subito in deteriùs lapsi, cum non possint in melius proficere, vt dub. 1.n.10.& 11. notabam, eo fortè puncto, quo salsè imò voraciter edentes, ab aliquo inspiciuntur, notantur, laudantur, cui ignarum vulgus, quia inspexerit, quia laudarit, causam detrimenti alterius tribuit. Non verò vt verius est, eius intemperantiæ, aut ingluuiei, & sic effacinasse videntem; effascinatum laudatum credidit vulgus, ob cuius timorem inter edendum tales deliciosi cibi quidpiam inspicientibus dant, alias ab istis effascinari imaginantur, audi Philosophum. *Itaque cum de mensa eadem, quid priuatiuè sibi assumunt, participem intuentem quempiam faciunt affantúrque cum impertiant nè me fascines.* En abusum quē hoc sæculum non superstitionum expers, etiam videt. Sed & alius, nec nouus ibidem abusus detegitur *aut incommoditatum aliquarum tenentur suspicione*, plurimos quippè videmus, qui ad summam euecti dignitatem, ambitiosè fortè, aut illicito anhelitu, non

non virtute, non merito promoti casum fortunamque timentes, ad mensam curiosi, ad somnum inquieti accedunt, at cum bona temporalia (digna adhuc ac laboriosa insudatione acquisita, nedum dubio medio comparata) non possint permanere, neque quiescere vt verbis vtar Hippocraticis, reliquum est vt decidant in deterius, at isti non huic necessitati, sed fascino superstitioso timentes, vbi deterius habent semet fascinatos proclamant, quia qui anteà commoditatis temporalis lucro fruebantur, nunc mille solicitudinibus & curis miseri, ac pleni iacent, proinde dixit Philosophus istos tunc fascinatos se credi, cum qui anteà bonis affluebant, nunc incommoditatum aliquarum tenentur suspicione.

Solent etiam præmissi Magnates non pauci, graui, ac dura obligatione sibi inferiores extorquere; ob quod oppressorum non pauci, illorum etiam vindictam prætendunt; non audent tamen illam palam perpetrare, atque ideò venenorum virus alimentis in eorum necem recondunt: quod & ipsi potentes verentur; atque ideò insulsè ac cogitabundo timore prandium assumunt, cuius causa ægrotant, & patiuntur (en altera fascini Vulgaris sors) ob id Aristoteles dixit, *aut cibum habent suspectum quum capiunt*, O Curas hominum ô quantum est in rebus inane! intonuit aliquando Persius. 4.

Sed istorum miserandam conditionem temporalis salutis bonum statum deiicere valere, quisnam Medicorum non fatebitur? Etenim primi voracitati ac ingluuiei dediti sanguinis plenitudini, aut aliorum humorum redundantiæ exponuntur, quos Hippocratica damnat sententia, Athletis lata ex 1. Aphoris. toties repetita, namque ij nimia copia alimentorum natiuum calorem suffocatione extinguunt ad minusque remissiorem reddunt. At verò à calore remisso, flatuum copiam eleuari & nequiri resolui hybernus solis calor ipse demonstrat, qui nebulas excitare, non resoluere aptus est, id verò quia remissus, sed caloris remissi flatulentus effectus, in illius conditionis hominibus à ruta dissolui potest, vt & Galenus de hac stirpe notauit. Rogabo tamen, an hic aliqua fascini nota adumbrari possit? Vel an Grandis Aristoteles tam hebetis ingenij à quopiam haberi possit, vt eius ingenium aliquod fascinum in his intemperatis hominibus adinuenerit?

nerit? aút fortè hoc Problemate docuerit rutam, non flatibus discutiendis, sed fascino præcauendo adhiberi? Ego quidem id non affirmabo. In diuitibus verò, aut Tyrannis alia est ratio, ipsi quippè ob id coctionem impediunt, quia tot curarum aut timorum insultibus torquentur, vt influentem necessarium calorem, à coctionis, aut nutritionis officinis distrahant toto illo ad imaginatiuæ, aut cogitatiuæ organa aduocato. Id sonant illa verba, ***Ergò cibum cum perturbatione sument, ne quid bibent, aut edent, sine turbatione,*** id est caloris influentis distractione, aut præ nimia potentiæ superioris ad eas curas aduertentia, in quo naturam distractionis potentiarum consignauit Complutensis Carrerus disput. 7. de locis cap. 12.

6. Ex quibus liquet eam potentiam quæ ventriculo inhæret alimenti coctricem, necessariò in his hominibus læsionem pati, in actione scilicet læsa diminutè vt Galenus supponit lib. de different. & de causis symptomatum; distrahitur quippè calor influens, spiritus scilicet vitalis (à corde in potentiarum organa tanquam à fonte aliàs distributus) vel quod verius arbitror cum Carrero, anima nimiis curis intenta, nimis ab opere abstrahitur, ventriculi inde eius actio læditur diminuta resultante chylificatione. inde tum vomitus, tum nausea, sed communiter ructus eueniunt, quia superfluunt flatus, & constipatis viis retinentur, quibus omnibus accidentibus ruta, & huius virtutis gratiora medicamina occurrunt, quæ quia calore aliquali pollent, vias reserant, & flatus discutiunt, qui eorum accidentium causa notissima sunt, ob inde Aristoteles dixit. *Igitur ruta præesitata vi sua & potestate calfactoria, vas quod recipit cibos elaxat (id est aperit), & reliquum corpus itidem afficit, ex quo fit, vt flatus ille interclusus transmitti, & secedere possit.* Vt ex his habeas nodum in scirpo quærere, qui ex his verbis motiuum habent, ad fascinum, Aristotelis opinione muniti profitendum, & similiter qua de causu ruta præesitata eis hominibus prosit, illis scilicet qui flatuum copia vexantur non verò fascino imaginario, ac demum Philosophorum Principem Aristotelem nec ipsum quidem fascinum somniasse.

Eliani hiſtoria ad rationem reducitur, & quid de Marſorum virtute ſentiendum. Zacutus notatus.

AD Æliani obſeruationem eodem num 3. relatam de aquila præcauente pullorum imminentia nocumenta lapide quem Ætitem nuncupant, dicam id bene fieri cõtra aliarum ſpecierum volatilia, qua inter diuerſæ ſpeciei animalis antipathias mirabiles obſeruari experimento leonis reſpectu galli, Elephantis muris reſpectu ſatis animaduertitur, ſed & lapidibus & herbis, & animalium partibus, virtutes efficaces exiſtere infectionum occultarum præſeruatrices nullum Medicum latet; quarum virtutum notitiam vt ita dicam natura omnia animalia docuit, neſcio tamen an illa inter animalia diſcordia, an hæc ex lapidibus & herbis tutela vel faſcinum ſit, vel illud quoquomodo demonſtret; ibidem refertur conſuetudo, Mellis manibus apponendi puerorum aut brutorum collis in faſcini tutamen, at ſuperſtitioſa mihi eſt; inde forſan deſumpta, quod Plinius referat, illa animalia adeò lupis infeſta exiſtere, quod ij procul ab eis habitacula quærant, propter quod ne animalia nobis ſeruilia lupino dente, offendantur, mellina pelle, aut manu præmuniuntur, ſed in hoc antipathia etiam inter bruta illa detegitur, nihil verò faſcino illa obſeruatio Plinij ſuffragatur. 7.

Quæ verò ex eodem num. 4. reſcribuntur, figmenta mera ſunt ſubtili Valleſio, vbi ſæpe, & ſolum indicantia faſcinum non denuò, ſed antiquitus iam hominum mentes occupaſſe; at ſi placet credere, quæ de illis Africanis familiis ex Iſogono, & Nymphodoro retulit tanquam opera ſint diabolica ipſa credito, nam & illis gentibus cælico lumine carentibus dæmones familiares extitiſſe, non leuiter fuerim ſuſpicatus, nequirent enim ob ſolam laudationem tot mala operari. Nec vi potentiæ viſiuæ qua talis, vt toties ſupra comprobatum, in quo ſenſu venit intelligendus Poëta, ni mauis cum eodem Complutenſi Maronem ſcilicet talia loquutum, quin talia ſenſerit, ſed poëtandi ſtylo ductum, nam & his temporibus etiam amantum præcordia venuſtarum 8.

nustarum mulierum oculis transfixa, nescio quam fictitiè forsan indecentiùs Poëtæ comminiscuntur.

9. Incredibile non est, quod ex eisdem Authoribus cum Plinio notarunt Ruelius, & Vuecherus num. 5. citati de alteris Africanis, quibus adeo virosa inerat vis, respectu animalium & plantarum (non hominum, namque inter homines, aut animalia vnius speciei naturales fateri antipathias multum veræ dissonat Philosophiæ) vt vel quas leuiter contingerent illicò destructioni darent, quod etiam Marsis, & eorum familiis, etiam vsque in hodiernam diem tribuitur, quamuis de his & huius census aliis Andreas Laurentius de mirabil. virtut. strumas sanandi solis Galliæ Regibus concessa c.4. sic sentit. *Marsi vt refert Aulus Gellius incantationibus & herbarum succis vtebantur.* Vallesius horum omnium facta Cacodæmonis opera fieri decreuit lib. de sacra Philosoph. c.3. confirmat Delrius, qui lib. 1. disq. magic. c.3. ex pluribus Ecclesiæ Patribus, ad diabolicum incantamentum reducit Marsorum illorum opera, & quidem quæ Gellius de his memoriæ prodit illam præsumptionem firmare videntur: *Gens* (inquit lib. 16. c. 11. *in Italia Marsorum orta fertur esse, à Circes filio Marso, propterea Marsis hominibus, quorum duntaxat familiæ cum externis cognationibus nondum etiam permixtæ corruptæque sunt, vi quadam genitali datum vt serpentum virulentorum domitores sint, & incantationibus herbarumque succis faciant medelarum miracula.* Ex quibus constat illorum hominum familiam superstitioni deditam fuisse, & de dæmonis consortio ad sua opera arguendam. Ratio physica est, quia Marsos vel quosuis alios homines virtute naturali pollere, veneficos serpentes innocuè tractandi, quin illorum virus veneficium hominibus talibus inferat, supponit necessario in eis temperiem naturalem oppositam ex diametro, temperamento naturali aliorum hominum, quibus talia animalia mortifera sunt, quis autem dicet huic homini vipereum animal veneficum esse, & illud beneficum alteri homini existere? nequit quippè tam grandis temperamentorum diuersitas, inter vnius speciei indiuidua inueniri, vt optimè aduertit Vallesius c. 68. sæpè notato recolito quæ supra dub. 4. à num. 36. scripsi.

10. Aliter Lessius 2. de Iustitia, & Iure c. 43. admittendo illas virtutes cum pluribus Doctoribus ad gratias gratis datas eas reducit,

iuxta

iuxta illud quod eodem dub.4.num.71. notaui. Sic Iesuita. *Crediderim tamen, hæc non esse ita naturalia, vt ex temperamento sequantur, sed pertinere ad occultas proprietates, diuinitus infusas, vel dona quædam, quæ dicuntur gratis data, & referri possunt ad gratiam sanitatum.* Quod quamuis piè ac religiosè fuerit sancitum, nihil eorum quæ ex Marsis, aut huius census aliis hominibus referuntur in fascini probationem habent, solum quippe suadere possunt, illorum opera naturali virtute, aut peculiari temperamento non euenire, accidere aliàs possent singulis eius speciei inferioribus. Vel si non acquiescis mihi, ausculta. Illa virtus in Marsis (idem intellige de aliis virtutibus) est illis naturalis per te, sicut virtus intellectiua aut risibilis, ergò potest abstrahi à differentiis indiuidualibus eorum, ergò fiet illis vniuoca, & essentialiter de singulo Marso dicetur: sed de cæteris hominibus falsò prædicabitur. Ergò cæteri homines prædicato essentiali à Marsis differunt. Vide an istæc facile concedas, reddes fortè illam Marsurum virtutem ab eorum tempefie prouenire. Sed numero proximo id implicare probaui; & vlterius illud temperamentum, non sui ratione, sed prout subordinatum potentiæ alicui, aut animæ, illos effectus operabitur, aut quatenus ab anima directum, aut in virrute animæ. Quouis verò modo illud intelligas ad aliquam internam animæ, aut huius potentiæ virtutem redire teneris, tuncque primum denuò vrget argumentum recolito quæ suprà dub.4.num.7.& 8. docebam.

Doctus tamen Vallesius 4.Controuers. c.vlt. sic de his & similibus virtutibus conclusit. *Quare nonnulla eorum quæ diximus pro contraria sententia Dei dono fiunt, nonnulla dæmonis opera, nulla naturæ animæ.* Melius quidquam aut veræ Philosophiæ conformius proferre non posset, quæ consonant his quæ Iul.Scalig.exercit.33. num.3.in Cardan.iacit. *Ad hunc locum pertinet quod à recentioribus quæsitum est, Marsis quare non noceant serpentes, quia inter eos inquiunt, quædam est similitudo; quod falsum est, etenim Marsi cæteris hominibus nocerent.* Hæc hic non sine grandi Philosophia profert, vbi eos nunc apud Italos ex Marsorum familia oriundos impostores, miseramque plebeculam decipientes appellat, ni malis eos Marsos proinde serpentes familiares habuisse, quia vt & Galenus refert lib.2. de art curat.c.10. feris venenatis & aspi- 11.

 dibus

dibus nutriuntur, quod placuit Riolano lib.1. in Fernel.c.19. Vnde veniret concludendum 1. illorum temperiem præternaturalem esse non solum sui respectu, sed & cæterorum hominum, hoc autem perinde est, ac si illam contagiosam appelles non verò fascinotoriam. Secundò prædictos Marsos, proinde serpentes ac viperas venari, vt vidit Galenus 11. simplicium in principio, quia venefica serpentium conditio assueta tanquam alimentum illis est, vel quia (vt Riolanus) vbi morsu Marsij & Psyllij à serpentibus læderentur, illico suctu virus exprimebant, at ab assuetis non fit passio. Et id confirmatum habes apud Mercurialem lib. de Morb. venen. c. 9. Scaliger. exercit. 175. & plures alios probabiliter putantes verosimiles historias illas existere, quas retulerunt Galenus & Auicenna, ille lib. 3. simplici. Med. c. 18. de ano illa Atheniensi cicutâ nutrita. Hic vero fen. 6. lib. 4. tract. 1. c. 2. de puella veneno refecta, quo Reges illam adeuntes inficerentur, de Mithridate venenis assueto, vt ab eis liber seruaretur, quod idem notissima historia de Virgine ad Alexandrum missa à Persis commonstrare videtur, & firmat Riolanus, vnde Marsorum conditio, non ad aliquam illorum prærogatiuam, sed ad prædictam consuetudinem sine fascini Memoria reduci potest, sic Delrius vbi sæpè lib. 1. c. 4. vbi non possum non mirari Zacutum Lusitanum, qui hanc nutritionem ex venenis cum admittat lib. 5. de Medicor. Princip. histor. 24. & anteriori lib. 3. histor. 16. q. 31. nihilominus sic habet. *Quod verò reperiantur Psylli & Marsi quibus gratia iuuandi & benefaciendi à Deo est concessa probauimus lib. 1. histor. vlt.* Vbi fatetur, non solùm id genus hominum ictus serpentum persanare, sed & serpentes innocuè tractare. Sentit deinde è contra ibidem illam vim morbos sanandi naturalem esse ibi. *Hanc Psyllorum vim naturalem morbos sanandi & resistendi venenis confirmant Ælianus, &c.* Non ergo fuit gratia à Deo concessa, vel si hoc, non fuit naturalis, vel quispiam pro Zacuto antilogiam dirimat.

12. Et certè si Lusitanus iste fatetur venena nutrire homines posse, & ob hanc rationem venena eosdem innocuè tractare quorsum ad saluandam Marsorum efficaciam ad gratias gratis à Deo datas confugit, cum assuetudo vt ille dicit ad venena sufficiens ratio sit ad eorum absque periculo vsum. Vel si gratia gra-

tis

tis data illis est,quorsum illam vim naturalem appellat, quia per causas acquiritur naturales ista, at illa per absolutam Dei voluntatem. Vel esto isthæc omnia quouis sensu assumpta dentur Zacuto, quid obsecro consequentiæ ad fascinum ponendum inducetur,sed in hunc authorem, & sequaces satis suprà dub. 4. n.57. agebam, dum virtutem naturalem sanandi reprobabam, quam hic amplectitur Lusitanus, ex quibus noueris illos qui per nostram solent Hispaniam grassare serpentes tractando, vel eos ad alicuius animalis Viscus applicando quibusdam Alexiteriis occurrendo,ac demum vulneribus,(Canibus, aut volucrum alicui inflictis)suis vnguentis balsaminis ipsa breui agglutinando, certos esse impostores, qui vel dæmonis opera, vel priùs veneficis succis ab illis serpentibus expressis, aut alteris quibus adhibentur præseruatoriè munitis rudem plebeculam decipiunt, sic de his Vallesius sentit cap. 3. citato. *Meritò ergò illa impostura damnatur diuinis oraculis, & interdicitur fidelibus.* non dissentit Andreas Laurent.cap.4.qui prædictos tanquam fabula, arte, aut cacodæmonis opere vtentes declarat, idem Petrus Pipern.lib.4.de Mag.morb.cap.5.super quorum malitia curiosè legito quæ inter alios memoriæ prodidit Andreas Lacuna super lib. 6. Dioscor. cap.54.& præthereà quæ cap.18. Deuteron. in istos scribuntur,sic Delrius vbi proximè. *Amat Satan homines ad risum prouocare, vt læti ac hilares imbibant impietatem,sic præstigiatores isti, agyrtæ, ioculary, miriones circulatores ipsos iudices sæpè ad ineptam quandam lætitiam,& admirationem pertractos fascinant, vt cuncta ipsis iocatoria tantùm,nec punienda videantur. Frequens talium semper,vbique prouentus fuit, & seges etiam hodie quorundam Principum allio, & cicuta nocentior.* Hæc Iesuita. Quo habeas nihili Psyllos, Illyros, Trybalos aut Marsos ducendos, quos tanti fascini sectatores æstimant,quo ex malitia nouum malum iurent, quod nec natura hucusque concepit,nedum parturiit.

Fabellæ quædam de mirabili virtute potentiæ visiuæ in externa contemnuntur, Reguli infensa visio ad verum sensum reducitur.

13. AD illa quæ num. 6. ex Plutarcho referuntur dicito Platonicam esse sententiam, in qua adhuc non est ratio quæ fascinum introducere possit, recolito quæ dub. 4. à num. 27. scripsi, præter quæ si narrationem illius Platonici expectes, nihil aliud præter contagium mediis virosis substantiis per poros oculorum traiectum inuenies, at de hoc satis suprà eodem dubio à num. 3. actum est. Illud verò quia Narcissi fabulosi narrationem sapit, Versificantium dogma sit non philosophantium, cur obsecro, quod & Delrius quærit, illi radij Visuales, spiritus illi nitentes luminosi, vel quouis modo nuncupentur, antequam in fonte, aut flumine mitterentur obiectum ipsum vnde profluxerunt, non conspurcarunt? si ad inuidentiam tamen ille casus reducatur, vt aliis num. 7. placuit, maxima illic naturæ insolentia animaduerteretur, quia præter omnem rationem est inuidentiam in nobis admittere respectu nostrorum, res profectò nouissima, si sibi ipsimet homo inuideret, quando ità propria amamus, vt hac in re caliget vnusquisque cæcutiatque, vnde quæ à num. 6. ad 8. referuntur extra verè philosophantium classim reiiciantur. ad Basiliscum in fine num. 8. relati peruenimus, horribile profectò animal auditu, nescio an ita visu. Communiter hic conducitur in fascini testem, nullum magis virus vulgus terret, sed nullum forsan infecit minus, eodem num. refertur quod semet aspiciens in speculo internecat, an sibi inuidet, quia forma pulcherrimum animal? timeo nè illi hoc affirment inuidentiam brutis concedentes, quo altius fascinum profiteantur: at hoc Narcisso & Eutelidæ relinquant obsecro, vel si illud animal in rebus concedis nihil ex eo ad fascinum inuenisti, quia eius potentiam visiuam lethalem esse nego. Vapores seu halitus oculorum mortiferos facilè fatebor, imò quamuis interficeret homines, aut animalia cætera extrà suam speciem non habetur intentum, nam fascinum vt virosa qualitas, est inter animalia eiusdem speciei, & ex

vi ipsiusmet potentiæ visiuæ, vt aduersarij supponunt, quod ipse nego, vt millies suprà repetitum, sic lupum vocem adimere non infert fascini existentiam, nam quamuis id vagatur, re fortè non experta (& plebis fabellam esse notarunt DelRius, & Andreas Laurentius) ex frigidis ac terrestribus astringentibusque vaporibus, à respiratione lupi expiratis contingere dico, gutture, ac vocis instrumentis illis exasperatis halitibus, quid ergò inde ad fascinum?

Diuersa oculorum constructio expenditur, fascinum ex illa non conceditur.

REfert nobis numerus nonus quasdam Fascinantium sortes quibusdam oculorum signis notatas, credidit vulgus, homines vi fascinatrice præditos duplici esse in singulo oculo constructos pupilla, aut strabismo affectos potiori conditione tali beneficio afficere, aliosque equum, alios canem oculis sculptos habere, sed esto eis isthæc demus, quid obsecro ad fascinum adducunt, cum ij facultatis formatricis errores in illorum hominum constructione sint. Aliquos illorum vidi, nam & duplici capite, sex vtraque manu, vel altera tantùm sex digitis, quatuor brachiis, aut pedibus conformatos, vel potiùs deformatos, præterita & præsens ætas vidit, vt prætercam Ioannem Sanchez de Valdes, in eius Chronica hominis generali, qui lib. 3. à cap. 9. miras hominum deformitates in natura visas refert, & Hieronymum de Huerta super Plin. lib. 7. c. 2. qui eiusdem sortis plurimorum meminit, & plures alios omnes, verum enim verò defectum arguunt in facultatis formantis instrumento, aut in materia ex qua partium constructio & numerus ac situs formari debent, vt Aristoteles lib. 4. de generatione animal. cap. 3. super quo consulito Galenum lib. 1 de Caus. Symptom. cap. 2. sed cur prædictos credam fascinantes, quemadmodum enim vna pupilla fascinatorium oculum non reddit; sic nec duplex, equum, & canem oculis configuratos non vidi in hanc vsque diem, fortè si admittantur, eisdem causis errorem adscribam. Si instes prædictos experientia ipsa venenosos extitisse, millies id tibi dedi. Sed ad contagium 14.

reduxi non est quod fascinum nuncupes, neque ij salubres homines erunt, sed morbidi contagiosi, quod in natura est frequentissimum, qui non visoriæ potentiæ vi, sed vaporum cæteros corripiunt, vt Vallesius, Sancta Cruz, & Suarius putarunt, quia ij prauam supponunt temperiem & pessimam complexionem.

Adde prædictos Cacodæmonis signo non semel ità indicari, vt ex aliis notat Moura opusc. citato sect. 2. cap. 6. à num. 3. vbi ex Oleastro refert vsque hodie Arabes & Sarracenos, & quosdam insulares apud quasdam fortunatas insulas degentes habere pectora & brachia illius modi notis, & aliquando literis inscripta, de quibus signis nouiter Pipernus lib. 1. de magno morbo cap. 4. sic de lamiis aduertit. *Concluderunt facta aliquo tempore professione, ac aliquando statim in aliqua corporis parte sensibilem characterem, vt in fronte, in iugulo sinistrâve mammilla tanquam sui mancipij signum dæmon imprimit, videte quam impium & obscænum pactum.* Hæc ille. De Strabonibus verò (quos Hispan. *vircos* aut *turnos* dicimus) minus curandum putarim, quia hos fascinatores habere illi solum volent, qui strabones etiam haberi volunt, plurimos passim præ manibus habemus, tractamus, nusquam tamen illos alteris hominibus infensos existere experti sumus, in hoc quidem maior vulgi detegitur crassities, timet Strabones, ab illis cauet, nunquam ab illis leue adhuc damnum expertus, & si rogo cur timeant, Respondent quia fascinatores esse communiter vagatur, nullus verò hucusque in se, vel in alio tale quid passus, nec passurus; fortè de iis talia vulgus opinatur quia Hippocr. apud Vallesium lib. 2. Epidem. com. 6. text. 20. de his Strabonibus sic scribit. *Horum quicunque ab ortu etiam Strabones amentes, lapidei, maniaci*, id est interprete Complutensi, huiusmodi homines parati sunt ad illorum generum morbos, quia fortè capite intemperato sunt, cuius causa formatrix virtus musculos illos pupillæ rectores recta construere nequiuit morbo instrumentario, oculi propterea laborantes, vt Galenus vbi supra docet, & communiter Medici fatemur, at verò quia capitis debilitas morbosa, aut oculorum morbus in mala conformatione hominem corripiant non est quod isti deterioris sint naturæ, quam claudus, quàm surdus, vnde fascinatores haberi amentis, aut prius lippientis rationis est.

Spreta

Spreta hominum (quos Zahories vocant) fabula, quorundam animalium mira virtus explicatur, ex qua vulgares fascino assentiunt.

EOdem num. 9. introducitur quædam hominum conditio, (quos Zahories vocant) quæ non est cur ad Aristotelicos mittatur qui non tam naturas ad vulgi pensum quam ad rationis, aut experientiæ trutinam perscrutantur, nullum verius mendacium, aut ridiculum figmentum curiosa vanitas accepit, quis obsecro, vel mediocri lycæi doctrina imbutus doctrina credet, obiecta latitantia, atque opacis corporibus intermediis existentia; species in oculum istorum garrulorum, naturaliter imprimere posse? vel si hoc verum esset cur etiam nostras visiuas potentias, obiecta illa subterranea non terminant? nec miror in hoc erret vulgus, nam & ipsum ab his impostoribus cæcum reddi ego video, at cæcus quomodo visibilia discernet? neque istos lynceos homines à mendacio, aut dæmonis consortio excipit Delrius vbi sæpè cap. 3.q.4. & eo magis isti damnandi, quia ex superstitiosa hominum opinione admittantur putantes tali prærogatiua hos impostores donari, quia nati fuerint die illa sacra, humano generi semper fausta ac felici, in qua celebratur apud Catholicos memoria Passionis Domini IESV Christi, feria inquam sexta Iudæorum perfidia crucifixi, & quemadmodum tunc terra commota atque monumentis apertis latitantia, ac sepulta corpora apparuerunt hominibus illa die, sic altera in qua recolitur fælix illa memoria si natalis alicui hominum fuerit, illam virtutem videndi potentiæ tribuit, aut donat quæ ad interanea terrarum pertingere possit, vide quam futile ac irreligiosum commentum, vt expendas principia, quæ fascino inferendo aliqui nobis supposuerunt. 16.

Nec quæ de charadrio dicuntur num. vlt. vera prorsus censenda, quia quamuis animalia sint venefica, quorum ictu serio homines percussi ad flauum, aut nigrum colorem vertantur, vt ex viperæ morsis constat, & Zacutus obseruat lib de Medic princip. histor. obseruat, 2. ad hist. 115. nullus tamen hucusque ad visum 17.

alicuius

alicuius animalis, tanquam ad causam illud symptoma reduxit, ni mauis Plinio credere, qui lib. 3. cap. 11. cuiusdam volucris meminit, *icteros* vocatæ, quæ vbi hominem aspicit icterico affectu laborantem perit ipsa auis homine superstite exinde sano, at fabula mihi cum Alexandro Massaria est. Mercurialis lib. 3. cap. 5. idem ex Plutarchi sententia refert, at Massaria & Mercatus icterum proinde dici asseuerant, quia quorundam animalium oculi, aut auium plumæ flauo colore icteris simili donentur: At si putes Charadrium adeo infensum per visum hominibus esse, vt Reguli more illos inficiat, ac flauo colore conspurcet, transeat bene, quia id in fascini probationem, ex vi ipsiusmet visoriæ facultatis nihil habet, sed illi halitus, more venenorum ictu ab aliis illatorum homines conspurcant. Vel potiùs eorum iecur, ac vniuersam massam sanguinariam ad flauitiem illam deducendo, ex quo vniuersa flauescit cutis, & deinde iecur ipsum perdunt, ac disponunt quo biliosi succi copiosiorem cæteris portionem gignat, vnde symptoma illud, quod vniuersi medici cum Galeco in qualitate mutata nuncupamus, originem sumat, quippe tunc morbum primo in intemperie iecoris sequitur, at non est quod in hoc tantopere moremur, in quo nec per somnum fascinum potest adumbrare.

DVBIVM VII.

Respondet dubio tertio ebiectis.

Referuntur quæ superius soluta extant. Satisfit Ioanni Ildephonso Complutensi.

11. Circa septimum annotato eorum omnium quæ à num. 1. dub. 7. ad vsque num. 6. fuerunt adducta ibidem etiam dissoluta extare, vt non sit hic iterum eadem illis solutio repetenda, idem notabis ad ea quæ à num. 7. ad 20. obiectantur vbi sententia

tia illorum qui affirmant verba ab imaginatione virtutem quidquam operandi recipere refracta satis superque videtur, ibidem habentur quædam fascini sortes à Cardano commentatæ, sed ibidem etiam explosæ, quia imaginationis ius extendere conabatur in fascini tutelam sic ea sacra verba pro fascino num. 26. relata, & adducta ex grauissimis Patrum sententiis explicita dubio 5. manent. Supersunt duo grandes Medici, fascini Patroni eximij vnus Antonius Carthaginensis, Ioannes Ildephonsus alter, at verò à num. 28. satis cum illo actum est cùm suas rationes dissoluendo, tum etiam non inefficacibus aliis in easdem agendo, recolito si placet, nam nisi mea me fallit opinio, omnia illa quæ à num. 1. ad 38. elaborata existunt, ingenuis satis possunt esse quo resipiscant, atque fascini vanam sententiam odio prosequantur.

Superest Complutensis Ioannis Ildephonsi experientias, & rationes dissoluam, obiecit nobis num. 39. experientiam eorum, 2.
quibus salus desperata putabatur præmissis omni methodo Medicinæ probatis remediis, qui tamen mediis vetularum, aut Psalmistarum suffumigiis, afflatibus, imprecationibus ad pristinam sanitatem fuerunt restituit, certè si tanti Doctoris æstimatio non frænaret animum, ipsum ex vulgarium sorte Medicastrum haberem, quis aliàs ferat hominem abs dubio Medicinæ peritum, omnium ore doctum, tam leui inniti experimento quo virtutem sanitatis naturalem concedat, indeque fascinandi alteram reputet possibilem? Ingeniosos oro (nedum eos tantùm, qui quasi arata iam rugis fronte abditissima medicinæ arcana passim experiuntur Seniores & Veteranos intelligo) meam & plurium Doctissimorum auscultent rationem quo causam euentus in argumento proposito sæpè sæpius occurrentis calleant, atque à vetularum & senum impostura aut delusione tanquam à diabolica superstitione caueant. Inter multiformes morborum differentias, quas Galenus pasim docet, præcipuè lib. huic operi dicato, quarundam sæpè meminisse constat per libros Crysium, & de diebus decretoriis, illæ verò sunt quæ morbum in acutum, & chronicum diuidunt. Sunt morbi acuti, vt Galenus ipse astruit 3. de diebus decretor. 13. qui celeres & cum periculo mouentur, seu terminantur, sed si terminantur, quo termino? Qua meta? leui-

ter hic dissentiunt Doctores. Longissimus est trigesimus quartus dies, breuissimus quartus, huius termini meminit Hippocrat. Aphor. 7. vbi Galenus cæterorum vsque ad 34. 2. Aphor. 23. & 4. 36. & sæpè aliàs, at morborum Chronicorum breuissimus terminus quadragesimus dies habetur, vt in calce commentarij proximi Aphorismi notabat Galenus. Longissimus Chronicorum terminus (miraberis fortasse) vsque ad senectutem extenditur. Lege Hippocratem & Galen. 1. de diebus decretor. 10. & lib. 2. cap. 11. 3. Epidem. comm. 3. text. vlt. 3. Aphor. 18. 2. eiusdem operis 20. & 45. & 53.

3. Constat ex his chronicos morbos quadragesimo die, tanquam primo breuissimo decretorio solui posse, velut longiores sexagesimo, longiores adhuc octogesimo centesimo, centesimo vigesimo primo, ad anni dimidium, ad integrum annum, ad plures, ad senectutem denique, vt ex Hippocrate & Galeno notabam. Omnium ratio esto, quia materia morbifica crassæ substantiæ lentæ renitentis conditionis concoqui rebellis breui à natura superari nequit, concoqui, sequestrari, expelli, accedit his frequentius instrumenti naturæ debilitas, aut impotentia, caloris inquam naturalis, adest frequentissimè alicuius viscerum grandis aliqua intemperantia, in primis, vel potiùs in secundis qualitatibus; impedit nonnunquam ipsorum ægrotantium, in sex rebus non naturalibus intemperantia, nolentium præceptis medici stare, sed malunt impatientes regularum Medicarum naturæ morbum relinquere in quo nisi in aliis plurimis errarent, error maior non adesset, sed neque his solum intendunt, sed vulgi nouitate ac credulitate ducti prædicti ægroti ad imponentes vetulas, ad senes impostores, ad rusticos, ad ignaros confugiunt, & non pauci quo tempore iam iam natura humorem superante intemperiem corrigente morbi solutionem parat, tunc verò salus restituta, non potenti naturæ, sed vetulæ suffumiganti attribuitur, Seni apocripho datur, qui tamen non semel sed millies suis emplastris, naturam impedientibus, suis suffumigiis ipsam alterantibus non solum deteriori damno, sed & subita morte ægros cruciarunt. Sed diabolum isthæc suadere semper credidi, ipse quippe morbi chronici solutionem iam iam instantem cognoscit, & ad eas superstitiones homines conuertit, quo ipsis assentiant, & sacri spi-

ritus

ritus præceptum non auſcultent c.38.Eccleſiaſtici clamantis. *Da locum Medico, etenim Dominus illum creauit, & non diſcedat à te, quia opera eius ſunt neceſſaria.* Sed miror Complutenſem qui putet in morbis chronicis animaduertenda accidentia criſima deberi ante eorum ſolutionem, cum non chronicorum ſed acutorum propriæ ſint, vt alibi explanabitur ad Hippocr. & Galeni ſenſum.

Alterum ſimile eodem numero relatum minùs ſollicitat ingenium ſi expectemus aliquarum vetularum aut Senum neceſſariam virium debilitatem, ac peſſimam cacochymiam, quarum ratione morboſè degunt, neque vna tantum differentia ægritudinis grauantur, ſed multiformis naturæ, nam præter animalis potentiæ diminutam aut abolitam functionem, præter cordis remiſſam caliditatem, naturalium facultatum potentiam propè extinctam habent, vnde mille morborum generibus affliguntur, vt expreſſum extat apud Hippocrat. lib. Aphor. text. vlt. eſt quippe eorum diſpoſitio morboſa, cum ſenſibiliter lædat operationes, naturaliter illam ætatem inſequens, vt ex Galeno notaui dub.4.n. 79.huc reſpexit Valleſius c.66. de ſacr. Philoſoph. cum ſcripſit. *Talis enim reuera eſt ſenectus hoc ſolum à morbo diſcrepans, quod eſt ſecundum naturam.* Illi ætati ſubaudi. quid ergo mirum ſi talium quiſquam cacochymia putredinoſa laborat, aut aliquo pectoris partium graui intemperamento? Ex quo humores ibidem corrupti per halitum neceſſariò expirati, quos attigerint, præcipuè debiles ſi fuerint, vt infantes, ac mulieres plerumque ſunt, conſpurcent ac inficiant, ſed cum hæc conſpicua, ac frequentia ſint rationique conſentiant, nequibunt ex vllo capite, vel faſcina dici, vel illis affirmandis anſam præbere. 4.

Carpuntur hiſtoriæ quædam. Expenditur latè ficæ ex Gagate vſus, ſuperſtitioni datur.

SIngularia ſunt quæ num.40.referuntur, omitterem illa libenter, quippè vt Valleſius cordatè aliquando dixit. *mirabilia audiuntur multa, videntur pauca.* Neque mihi vitio daretur, ſi illorum 5.

illorum euentuum testimonium optarem, cum Ioannes Ildephonsus ex aliis nobis illas dederit historias, in quibus vtrique credendis facile decipi possumus. at demus comiter casus illorum hominum marmoreas columnas visu solo confringentium, non credam id virtute naturali factum; vndenam illud probari potuit? non diuina, vt euidens apparet. Ergò si tale accidit, dæmonis opera accidit. Sic contigisse dabo alterius Equitis Valentini historiam qua ratione compellar credere distantem horum hominum visionem, marmoream, opulentámque fabricam naturaliter comminuere posse? præcipuè cùm actio sit immanens, vt toties supra cum Aristotele probaui. quod de lapide Gagate (*açauache* Hispan. dicitur) obseruat, futile mihi videtur, & primò quod dum puerorum collis suspenditur inopinatè frangatur, nihil habet suspicionis, nam & ipsemet id filio cuidam meo accidisse, semel attenta mente notaui, sed filium Puella quædam brachijs amplectebatur, aderam ego solùm, nihil vel boni vel mali præuidens, nec pòst expertus in puerulo, putaui solum lapidem, vel præ vetustate confractum, vel quod præ siccitate dehisceret, nisi artifex, dum crucem (talis erat) construeret, ex illo rimulam induceret, quæ temporis tractu increscente, subitò in partes lapidem reduxit, quod sæpè terreis corporibus, intensa in eis siccitate accidere per naturam visum est.

6. Huius tamen lapidis vsus pro infantium tutamine vsitatissimus est suspenditurque illis ad pectoris latus sub manus forma, pollice, indici submisso, cuius consuetudinis rationem hic disquirere placet, quia putarint aliqui in fascini præcautionem id factum, atque eum lapidem in illud agere valere, & continuò infantibus adhiberi. At constabit istorum fallax opinio. Si verò aliquis opinetur, eam præcisè formam, ad aliquem effectum præstandum, aut fascino occurrendum valere, suspectè & irreligiosè opinatur. Super quo Delrius 1. disquisit. Mag. q. 4. sic habet. *Huc referendum si figuram attendunt, quod Hispanicis pueris ex Gagate ad collum deligant, manu in derisum inserto intra digitos priores pollice conformata* (higam *vocant*) *dixerat* supra *effectus ille prodigiosus erit* (si scilicet figuræ tribuatur) *& amuletum superstitiosum* de qua indecenti manus sculptura, sic D. Sebastianus à Couarru. in suo nostræ linguæ thesauro) *tam bien es cosa vsada al que ha parecido*

do bien darle vna higa diciendo tomad porque no os aoxen colgar à los niños de el hombro vna higa de azauache, es muy antiquo, y comunmente se ignora su principio puede tener origen de la misma materia, porque el sucino ò ambar, y el açauache, escriuen tener propriedad contra el ojo, y tambien porque en quanto a la figura es superstitiosa deriuada de la gentilidad que estaua persuadida tener fuerça contrà la fascinacion, la effige Priapeia que como tenios dicho era la higa, de todo esto no ay que hazer caso. Hæc ille, vt noueris vnde nam abusus iste adeo apud nos inualuerit. Si verò rationem habere cupis, cur nam barbara illa ætas Priapum in ficæ formam repræsentatum tanti habuerit, recole quæ dub. 2. à num. 2. notabam & prætereà adito D. Laurentium Ramirez de Prado virum variarum lectionum peritissimum super Epigramm. 93. Martialis lib. 1.

Et prætereà abusio hæc fundamento quopiam videtur introducta, si subtilem auscultemus Vallesium, lib. de sacr. Philosoph. cap. 68. sæpè citato, duplex quippe apud vulgus extat remedium ne fascino lædatur quisquam, nam vetula vbi tenero infanti aut formosæ mulieri accedit fica manu conformata, *toma vna higa* profert vel bona precatione vtens (quod potius prosequendum) *Dios te bendiga* profert, quod apud antiquos obseruatum grandi religione erat, quando quemque laudabant illud suum prouerbium addentes *præfiscinè dixero*), id est præter fascinum. Hoc autem Vallesius inquit quia manus figura illa indicat eum qui intuetur non admirari, neque laude dignum magnopere censere, siquidem comtemnit, alterum, non odisse, siquidem precatur bona, quæsitu nihilominus dignum est, cur nam illa manus figura signum contemptus sit? an quia fœda illa digitorum positio videtur, an quia ridicula? Audi quæ Mercurialis ex Varrone sentit, vbi suprà. *Sed volo hîc obiter quædam notare, puto enim veteres nostros sub nomine rei turpis quàm appendebant collo infantis, intellexisse hanc herbam* (orobum fœminam satyri speciem) *nam vt est apud Marcum Varronem, veteres habebant in vsu collo infantis appendere res turpes, vt vetarent omnes effascinationes, scio multos fuisse qui existimarunt hanc rem turpem fuisse formam membri virilis; sed nugæ sunt, puto enim à Varrone pro re turpi intellectam esse rem quamque turpem non sine ratione, quia vt docui si vlla sit effascinatio* 7.

natio in infantibus secundùm Medicos, & Philosophos ea est quæ fit per oculos, quotiescumque scilicet mulieres, aut viri venenati attentè intuentur ipsos infantes. Veteres ergò illi sapientissimi, vt auerterent oculos istorum ab aspiciendis infantibus, iure voluerunt res turpes appendi collo ipsorum, vt hæc fœda & turpia spectra facerent nè mulieres attentè aspicerent. Sed volo etiam in his notare Mercurialem, quia dixerit iure antiquos turpi illo remedio vsos, vt oculos inficientes auerterent; ergò videtur infectionem ipsissimæ visioni attribuere, quod quàm extra rationem sit millies dub. 4. demonstraui, vel si infectio per poros oculorum patratur, quid refert inspiciatur aut non infans? Quid visionem ad rem turpem conuertere? Quia vapores tetri applicito semel ad distantiam debitam oculo, infantem etiam non inspectum attingent. Ergò sine iure illum abusum Mercurialis extollit.

6. Sed illo abusu præmisso liceat mihi aliam rationem huius moris perscrutari, fortè maiores nostri vim medicatricem in lapide agnoscentes (de qua numero sequenti) illum infantum humeris appendebant, neque sub indecenti ficæ forma, non pollice indici supposito, sed contra indice subiecto pollici, sic enim crucem formamus, quæ non vulgaris tantùm fascini, sed & Auerni ipsius destructio est. Per abusum verò crediderim talem Christianam formam deletam, & ficæ figuram inductam, tanta est diabolicæ superstitionis malitia, vnde parentibus, ac nutricibus consulo, vt non ex Gagate, aut quauis materia ficam, non hanc ex corallo, argento, aut auro construant, in fabulosi ac superstitiosi fascini subsidium, sed *crucem* lacus stigij terrorem, non vetulas fallaces malignas ignorantes ad infantum morbos prouocent. Proh Deum Optimum! quæ vetula putris? quis rusticus aut vinosus homo? vnde nam istorum scientia? An diuinitus infusa? consule Doctos Theologos quò scias an istud facile credas, naturalisne ex continuò literarum studio? Videbo hoc: ergò si verè remedium afferunt, dæmonis auxilio adferunt? sed an Christianus, tui languoris opem à dæmonio exoptas? vel si impostores illi verè non medentur gaudebis, quod maligna anus, aut homunculus ignarus tibi imposuerint? Ausculta Antistitem Abulensem q. 18. *Rectissimè ergò Catholicorum Ecclesia spiritu sancto ducta, omnes fascinatorum curatrices prohibet, aut potius insipientium deceptrices districtè*

districtè prohibuit. Expende demum quæ doctissimus Iesuita Mendoza, vbi supra cap. 3. de his omnibus fallaciis scripsit. *Praterea quia non quacunque vetulæ, sed quæ malæ audiunt, vt lamiæ & veneficæ infantes solent fascinare, ad quorum proinde curationem inducit vulgus fæminas alias, quas benedicentes appellat (rectè dixisset maledicentes, rectius maledictas) appendítque lunulas argenteas, & nescio quas figuras alias, ex succinouè frontibus puerorum, in quam superstitionem acriter inuehitur Diuus Chrysostomus loco supra citato, crux inquiens Christi dehonestatur, elementorum verò superstitiosi caracteres præferuntur, Christus eÿcitur, & inducitur temulenta, & nugatrix anus, mysterium nostrum conculcatur, & seductio diaboli tripudiat.* Istæc audiens quis Catholicus hos tenebriones, aut illam fucatam ficam amplius sustinebit.

Neque lapis ille virtute caret naturali, qua morbis plurimis, 9. etiam infantilibus proficiat, cui potiùs mos ille vetus dandus, quam vanæ ac irreligiosæ ficæ, nam siccitate pollet, si Dioscoridi & Galeno credimus, ille lib. 5. cap. 53 hic verò lib. 9. simplic. & attenuandi, ac discutiendi facultate, vnde præter alios morbos, strumas, & epilepsiam medetur; qui affectus frequentiùs puerulos apprehendunt, quia crassos humores attenuat superfluamque absumit humiditatem, idem legi poterit apud Auicennam lib. 2. tract. 2. cap. 322. idem apud Mesuëm tract. de oleis, titulo de Oleo ex gagate, quod subuenire dæmoniacis, & Epilepticis inter alios morbos suadet quamuis de virtute in dæmones Manardus, & Costeus ibidem malè sentiant, super quo latè dubio sequenti; & ad hemicraneam hunc lapidem gestatum conferre scribit Mercurialis ex Democriti quodam manuscripto. Quamuis lapidem ponderosiorem tunc inueniri semet ipso ante gestationem vt Democritus notat attento indigeat experimento. Et quamuis quidam huic lapidi virtutem Epilepsiæ inducendæ attribuant, intelligi debet, eo modo quo communiter Doctores affirmant, suffitus graueolentium Epilepticam accessionem excitare, sed odores ab ea suscitare etiam docent. Iulius Scaliger in Cardanum exercit. 104. n. 3. Dioscoridi, & Galeno assentitur. Vallesius cap. 68. contra vteri suffocationes valere notat Author Pandectar. serpentes fugare, & diabolicas impressiones corrigere aduertit, nullus antifascinatorium hunc lapidem

lapidem notauit, vnde crediderim seniores nostros illas mirificas virtutes audientes vsum probasse illius infantum humeris appendendi, vt qua ratione radix pæoniæ itidem appensa epilepsiam suspendit, eadem Gagates lapis illam præcauere possit, quod quidem prosequibile, nedum tolerabile erit, dummodo non ficæ, sed crucis formam repræsentet, vt naturali ac supernaturali remedio morbis infantum subueniatur.

10. Quod eodem num. 40. de illo Equite Valentino nobis pro fascini tutela proponitur eo modo soluendum quo num. 5. hoc dubio animaduerti. Casus illius bonæ vetulæ multoties in medium hoc opusculo est adductus qui ea ratione venit dissoluendus, quam dub. 1. à num. 10. & in præsenti à num. 2. proferebam, sed quod miror magis est, Ioannis Ildephonsi synceram conditionem, qui cum Medicus cognoscatur in lectione Galeni si quis alius expertissimus, adeo fragili ac dubiæ causæ, occasionem febricitandi, aut alio morbo laborandi dederit. Cùm si affirmetur eum hominem apparatum ad morbum habuisse, vltimámque dispositionem eo puncto inferiùs latitasse, quo ab anili vetula inspiceretur, vnde non potuit non ægrotare, etiam si à pulcherrima ac venusta virgine aspectum reciperet: nescio an ratio efficax suppeteret, vnde ex visione illa, & non ex morbido apparatu intimè latente accidisse probaretur. Ergò quo illum casum quem millies experimur causæ communi attribuamus, frustraneum est, præcedat aut non in illo languente plethorica dispositio. Plures quidem sunt, qui sine illa in morbos incidunt, quam è contrà eodem num. casus illius sacerdotis profertur, qui ex graui morbo conualescens, nescio qua contagiosa dispositione afficiebatur, vt quiuis illi approximari contingeret, illicò inficerentur, at multis numeris hoc experimentum distat, quominus ex eo fascinum probetur. Demus benè illum conualescentem infectum ex morbo superfuisse. Demus cæteros etiam homines affecisse. Sed inde solùm inferre licet, illum in statu extrà sanitatem, extitisse quid deinde venefica & contagiosa dispositione laborasse qua alios contagio afficeret? at hoc non infert alium morbum, quàm contagium, quod omnium ore fateri est necessarium, quid quod verum est venenum in nobis gigni & Galenus ex Pelopis sententia id docet, & confirmat lib. 3. de loc.

affectis

affectis cap. 7. & lib. 6. cap. 5. atque per plures menses, imò annos in corpore genitum, aut ex animalis ictu eiaculatum, latere posse communis Authorum sententia est, & obseruatio; at verò ex his sequi fascinum per oculos admittendum non video, quamuis per eorum per os contagium, vt euidens est profitear, sed de hoc latè dub.4.

Sequēti numero nouas nobis inducit Historias, de illis Antropophagis apud septentrionalem zonam inuentis, qui carnibus vescuntur humanis, qui vapores eiiciunt infectos, de illo equo homines lethali diarrhœa afficiente, omnia tamen hæc, ad plura huius census relata numeris anterioribus reducito, contagia appellato. Sed in his iam puto Oleum & operam perdo, quæ de hominibus sanitatis gratiam habentibus viribus naturæ proferuntur iam superiùs dub. 4. à num. 57. vniuersaliter discussa habes: recolito si exciderit, peculiariter verò adducta exempla eodem numero arduum mihi iter percurrendum demonstrant, quia videntur extra Appollinis chorum saltare, at dum rem doctissimis ac omni veneratione dignissimis Theologis discutiendam relinquo. Respondeo Pyrrhum Regem solo certi digiti contactu lienosos sanantem fabulam sapere, vt Andreas Laurent. vbi suprà fol. mihi 32. affirmat vel de Cacodæmonis consortio arguendum. Vtrumque sentit Eruditissimus Delrius, vbi sæpè c. 3. q. 4. idem dicito de aliis miris virtutibus aliis infidelitati deditis Regibus applicitis, multa quidem spe gratiæ, aut lucri de Principibus adulatores comminiscuntur. Vel si mauis prædictas gratias, veraces profecto fuisse concedam, non verò illas naturales fateor, sed ad gratis datas reducendas iuxta illa quæ dub. 4. num. 71. ex D. Thomæ sententia monstrabam. 11.

Notatur obiter Andreæ Laurentij liber inscriptus de mirabili vi strumas sanandi solis Galliæ Regibus concessa.

DE virtute strumas sanandi Christianissimum Regem concomitante non est quod hîc dubitem, quamuis plurimi illam iam dudum abnegarint, at illa sine contentione admissa super- 12.

naturalem gratiam concedendam censebo. Sed neque illa, neque huius naturæ aliquæ consequentiæ ad fascinum per naturæ vires supponendum sine contagij ratione futuræ sunt, vt manifestò constat. Verum enim verò in doctissimum Andræam Laurentium illud obiter obseruandum optarim; inscriptionem scilicet, quam prima fonte eruditus ille libellus ostendit pressam nimis existere, quo verò laxior reddatur expungi illud verbum *solis* rationi consonum videtur ab eius libri titulo, nam prædictam gratiam strumosos sanandi, etiam Eduardo Angliæ Regi datam ex plurimis supponit Del-Rius vbi proximè, ergò non solis Galliæ Regibus. imò Moura opusc.citat.sect.2. cap.8.num.12.sic habet. *Vvaldesius non solum confirmat dictam gratiam sanandi strumas Regibus Galliæ collatam, sed aliis quoque Regibus competere monstrare conatur.* Et paulo infrà. *Regibus quoque Hispaniarum eandem gratiam strumas sanandi concessam astruit ex Beuter.* ergò non *solis* Galliæ Regibus, imò sine tanti authoris nota præsumpserim prædictam gratiam, Catholicis etiam Regibus concessam ipsum non latere, sed cum illam apud Authores intelligeret consultò missam fecit, quo hanc & alias præter suam excluderet. Deinde quia si Galliæ Regibus quia Christianissimis, illam gratiam donatam profitetur, cur non Hispanis, quia Catholicissimis eam concedat? Sed in eo opere curioso, compendioso & certè docto non parum quidem adulationis inuolui videtur. Cum præmissas exterorum Regum gratias, nescio quanto iure obscurare conatur, sic de Angliæ Rege scripsit fol. mihi 39. *Angliæ Reges epilepsiam curare datis annullis quidam prodiderunt, sed proferant nobis exempla.* Historiam habes Laurentij, quæ exempla posteritati præter historiam desideras? at contendis prædictos annulos virtute quadam naturali, ex eorum materia desumpta, vel ex influentia cælesti, in puncto suæ constructionis acquisita prouenire. Sed etiam sunt qui contendant curationem strumosorum vi aëris Gallici, alimenti, potus, motus, & aliorum contingere. Dele ergo si placet illud *solis*. Da ergo gloriam, & honorem Hispaniæ & Angliæ Regibus, nam supernaturalis gratia sanitatis, non respicit hominis cui impertitur, meritum, vt ex Doctore Angelico lib. 4. num. 71. monstrabam. Tu verò docte Andreas Hispaniæ Regibus virtutem dæmonis pellendi ex corporibus signo

gno crucis non vis concedere, quando Deum optimum maximum concessisse apud eundem Mouram legitur, vbi proximè ibi. *pellendi dæmones* (gratiam subaudi) *signo crucis ex Tapia in rubrica de constitutione Principis cap.* 1. *n.* 3. *& ex Cassaneo, in Cathalogo gloriæ mundi parte* 5. *consid.* 1. Sed opponis Cassaneum ex aliis loquutum, non inficias ibo; at scito de Christianissimi Regis gratia etiam ex aliis loquutum, audito verba. *Hinc enim videmus quod Reges nostri post Regnum adeptum virtutem habere dicuntur, vt de Rege nostro Franciæ, qui tanquam Rex, vno morbo curat, qui dicitur morbus Regum* tuo idiomate, *le mal du Roy* meo *lamparones*, at de nostro Catholico sic. *Rex Hispaniæ, vt quidam dicunt; fugat dæmones à corporibus humanis.* Tu verò quia tuus dixerit Cassaneus, *vt quidam dicunt* sic habes fol. mihi 39. *& de Hispaniæ Regibus signo crucis dæmones fugantibus, non constat inter Hispanos.* de tuis tamen Regibus itidem Cassaneus scripsit. *Virtutem habere dicuntur.* de meis. *vt quidam dicunt*, ergo ex vi scripturæ, æqua sit vtraque auctoritas, vel vtraque dubia, quod non patieris.

Pro omnibus tamen affirmans est sententia eruditissimi Patris Ioannis Eusebij Iesuitæ lib. Curios. Philosoph dum sic scribit. *Con mucha mas raçon se ha de dezir que la virtud de los Reyes de España contrà los Endemoniados, es merced del cielo. lo mismo se ha de inzgar tambien del sanar lamparones, gracia tambien de los Reges de Aragon segun Beuter escriue.* Et antea hæc habet. *En los Reyes de Francia tuuò principio su virtud de las oraciones de san Marculfo que lo alcanço de Dios, como escriue Roberto Canal y Papinio Massonio.* Ex quibus duo pendent. Tum prædictas gratias Regias diuinitus infundi, tum etiam, non solùm Galliæ Regibus, sed Hispaniæ & exterorum aliquibus concessas fuisse, vt illud *solis* ex libello illo iure expungendum veniat; hæsitat intereà Sebastianus de Soto Medicus Curialis qui hanc Hispanorum Regum gratiam in adulationem, priùs quàm in supernaturale donum conuertit; libello illo, quem de Monialium clausura licitè reserãda ob morbos inscripsit, proposit. 3. fol. mihi 83. ibi. *Estando oy por lanzar el primero y no faltando, en quien pudiera hazer se la experiençia*; at hæc ratio insufficienter opprimit, vana eius est arguties, ab actu negatiuè ad potentiam, quasi diceret Deus non produxit creaturas possibiles, 13.

imò non producet, ergo non est illarum productiuus, hæc illatio vndique falsa est, sed Reges nostri humili majestate ducti illius virtutis exercitio non intendunt, omne huiuscemodi ius sacris Sacerdotibus relinquentes. Tum quia minus, quàm exteri, his nouitatibus Hispani delectamur.

Iterum virtus naturalis sanandi reprobatur. Salutatorum Hispanorum virtus expeditur.

14. NEc in præsentiarũ referendi qui prædictas gratias sanitatum naturali hominum complexioni tribuerunt, nihil profectò verè repugnantius Philosophiæ adinueni, & præter illa quæ dubio 4. à num.42. & 57. in hanc sententiam notaui, extat singularis Gal. doctrina lib.5. simplic. cap.18. quæ ipsorum sententiam efficaciter refellit, sic ibi de virtute occulta Medicamentorum sentit comparando illam ad humanum corpus in quod illa operantur exemplo in alexipharmacis signato. *Siquidem* (inquit) *facultates quæ deleteria medicamina alterant, mediam habent naturam inter ipsa corpora perpetientia, & medicamenta ipsa lædentia, vt scilicet eadem sit proportio corporis ad qualitatem alexiteriam, quæ illius ad deleteriam, & rursus deleterij ad alexiterium, quæ alexiterij ad corpus* quasi Pergamenus diceret, medicamenta omnia quæ à tota substantia, siue media qualitate secunda opponuntur qualitati cuipiam venenosæ, mediam natu am habent respectu suorum extremorum; ista verò sunt corpus humanum, & venenum, ita vt prædicta antidota, vt doctissimè hîc commentatur Vallesius veneni naturam sapiant, & temperiei humanæ conditionem redoleant, itaque non iniuria semiuenena cum Vallesio alexiteria dixerim, sed quid inde inferre potuit Galenus? Duo sanè ad intentum. Primum est agentia, quæ à tota substantia nos alterant medicamenta optimè dici, imò venena. Secundum eorum vsum sine necessitate fugiendum, quia inducunt nobis dispositionem nostræ naturæ corruptiuam, ita vt adhuc in præsentia veneni cuius causa offeruntur periculo non vacent, quia si in minori dosi quàm venenum superare valeant, adhibeantur, à venenis vincuntur,

tur, hoc est in eorum conditionem transmutantur, si verò in largiori quantitate exhibentur tanquam venena grauiter humanum corpus afficiunt. ausculta verba. *Ea propter propemodum omnia quæ venenis aduersantur si largiùs sumpta fuerint grauiter animantis corpus offendunt, quamobrem ea moderatione quantitatis omnes id genus facultates exhibere oportet, vt neque copia nimia corpus offendant, neque exiguitate sua à deleteriis vincantur.*

Ex qua doctrina eleganti constat eos homines qui virtute na- 15.
turali pollent sanandi cæteros, specie à cæteris differre. Primò, quia illa virtus naturalis, vel est iuxta exigentiam formæ substantialis illorum, vel iuxta temperamenti illorum conditionem; si primum. ergo illa forma intrinsecè & essentialiter inclinatur in illam qualitatem, seu potentiam, at cæteræ aliorum hominum formæ, illam inclinationem non habent, differunt ergo essentialiter inter se quia illa inclinatio constituit prædicatum quoddam essentiale illi homini, quod cæteris deficit, at essentia differunt quæ prædicato essentiali differunt, quod an facilè concedant aduersi ipsi viderint, & reprobat D. Thom. vbi dub. 3. num. 7. citatus, si astruant iuxta temperamenti naturalis conditionem illam virtutem exigi, in hoc solùm concedunt illam virtutem naturalem sanatiuam ab illa forma substantiali procedere, ex vi illius temperamenti, & prout ab illo temperamento determinata, vnde iam vrget ratio superior, quia quamuis ex vi illius temperamenti illa virtus dimanet à forma, cum ab aliis cæterorum hominum, etiam illo temperamento fruentibus nequeat dimanare, differret specie ab illis, vel si posse dimanare concedis, sequitur omnes homines intrinsecus, virtute pollere sanandi morbos, quod videtur ridiculum, præterquam quod occultæ rerum proprietates, ex primis, aut secundis qualitatibus nulla ratione in fieri pendent, sed dimanant à formis quorum sunt, vt est communis Doctorum sensus, supponítque Maroja lib. 5. de febribus cap. de maligna q. 1.

Obiiciuntur etiam eodem num. 41. Salutatores, quo ex eorum 16.
sanandi hydrophobeam virtute, velut ex præcedenti contrariam ægrotandi supponant, vnde fascinum oculorum efficacia possint per naturam confirmare, possum nihilominus argumentum salutatorum salutare, quia horum impostorum genus inuisum oppidò

 mihi

mihi est, quos quamuis eruditissimus DelRius, problematicè recipiat vbi sæpè lib. 1. cap. 3. q. 4. nihilominus sic scribit. *Raro enim sicuti vtuntur, licitè vtuntur, nec credendum tot hominibus pessimis hoc donum à Deo Tributum.* Ciruelo doctus procul dubio sic libello de superstit. 3. p. c. 7. habet. *Borrachones viciosos que andan por el mundo, en nombre de saludadores, y para encubrir la maldad fingen ellos que son familiares de sancta Catalina, ò de sancta Quiteria, y que estas santas les han dado virtud para sanar.* Brauus Salmantinus libello de hydrophobeæ natura hæc. *Bonam salutatorum partem genus esse hominum flagitiosorum incontinentium, vino & gulæ deditorum, qui malis artibus vtuntur, & in foris triuiisque scabella ascendunt, vt rudi plebeculæ imponant.* hæc illi in quorum fidem quod in me expertus fuerim exprimere non grauabor. Cum in oppido de Babila fuente Salmanticensis Diœcesis existerem quandam ægram visurus, domum eius ingressus, ecce subitò canis paruus hirsutus pelle flauus me inuasit, atque in talo momordit sanguine aliquanto per dentium vulnera stillante, quo facto cubiculum obscurum petiuit Ast ego in canem iratus fustim arripio, canem disquiro, & vbi cubiculi portam aggredior, ecce iterùm me ipse aggreditur, percutio illico animalis rabidi caput diro ictu ipsoque meo videri vita functo abiui, sequenti die fama vagatur de cane illa nocte rabido Oppidi animalia infestante, signisque inquisitis illemet erat, qui me momorderat, quia contuso capite ac cerebro commoto, amissoque motu & sensu iacuit, quo tempore illum interfectum putaui. Verum statim sinapismum morsui adhibeo, vlcus formo, aquam ex agrimonia decoctam bibo, theriaca vtor; interea salutator ab incolis vocatur, quo salutaret animalia. Ego verò eum & cæteros sequaces irridens salutor. Deique optimi beneficio superstes euasi. Putarant plures salutatori homini tribuendam salutem, ego irridebam, quia vt credo salutatori homini vero Deo, priùs, & medicamentis, deinde gratias reddidi.

17. Sed iterum auscultes obsecro. Cum essem in nobili Patria nostra Sepulueda: paruulum canem habebam viuacem, longo & albo pilo ornatum, ecce me præsente, præter eius conditionem suem inuasit, idem contempsi. Sed & altera die idem obseruo, atque ipsum hydrophobea tentari in mentem subiit, noto actio-

nes,

nes, erat quasi iracundus, oculis rubentibus inquietus, ac curiosus, blandior illi, nequibat quiescere, quo viso pueris consanguineis præcipio, vt illico flumen peterent, ac animalculum iterum, atque iterum in aquas præcipitem darent; nec istæc profuerunt, nam pueros consanguineos inuasit, momordit; demum ecce antè oculos gallinam aggreditur, vulnus infert, ac subitò vita priuat. Ego itidem canem sua priuaui. Aliquibus transactis mensibus eodem oppido alter canis rabidus, alterum nostrum aggressus mille concussionis, & morsus generibus conculcauit, quamobrem illico ab indigenis vocato salutatore, congregatis suibus, asinis, ac canibus, ipse salutationem publico in foro exercebat, quo tempore me accedente, ac me cane meo concomitante, alta voce salutator clamat. Canis is qui medicum insequitur morsus à cane rabido est, Ego idem confessus, nolo, dixi, vt meus canis tua bona gratia fruatur, at me & totam domum perituram miserè ominabatur, irridens discessi, consanguineorū theriacam morsibus cōtinuò applicabam intusque bibendam per multos dies exhibebam, canem aliis remediorum generibus ab imminente rabie præcauere non cessaui, quibus extra omnium vota, omnes incolumes euasimus. Si verò vt altera vice feci, salutatorem adirem, non Deo misericordi, atque ab eo creatis medicinis, sed impostori illi euentus tribueretur. Quæ referre placuit. vt exinde quanta fides his garrulis danda cordatis habeatur, nam si omnium ore horum gratia dubia de facto est, cur tam leuiter in Christiana Republica permittuntur, præcipuè apud nos, & nostram Hispaniam, cui istorum colluuies exteri attribuere non verentur, nam Delrius & Andreas Laurentius, hos vocant Hispanos, ab aliis verò Hispanos alexicacos vocari notat Zacutus lib. 1. de Medic. princip hist. quæst. vltima.

Et quamuis cum plurimis, ac grauissimis Doctoribus Theologis salutatorum gratiam fateamur, vt videre licet apud Delrium, Mouram & Zacutum; at verò ij illam gratiam gratis datam esse profitentur, non naturalem, ex vi formæ aut temperamenti, aut constellationis. Vt falsò Brauus Salmantinus & Zacutus Lusitanus putarunt. Miror profectò doctissimos Medicos affirmare alicui hominum inesse posse virtutem lapidis herbæ aut aliorum medicaminum, cum ipsi doceant medicaminum 18.

virtutes

virtutes quæ ex primis qualitatibus non sunt (nam de his non est sermo) à propria cuiusque mixti forma dimanare, vnde qui mihi inesse virtutem Magnetis, Rhabarbari aut Hyacinthi contenderet, concedere tenebatur inesse mihi illorum substantiales formas; sed quid absurdius; neque velint illas virtutes dimanare à forma rationali, tanquam à principio eminenter omnium mixtorum vires continente, quia quamuis hæc continentia admittatur (quod certum non est), nihilominus illarum virtutum dimanatio supponit in quolibet mixto determinatum temperamentum (sit hoc, vel illud) tanquam determinatiuum dimanationum illarum facultatum. Ergò vbi dimanat quæpiam, ibi est requisitum temperamentum eius mixti. Ergò si in aliquo homine dimanat virtus alicuius lapidis, ibi adest eius lapidis temperies naturalis, ibi ergo erit forma eiusdem, quia naturaliter hæc non potest non induci vbi debita ad illam dispositio præest. Quæ omnia inconuenientia grandia esse nullus non videt, Si ergò salutatores gratiam in hydrophobeam habent; à Deo Benefactore Maximo habent, vt optimè graues Theologi supponunt. Sed ex hac gratia non infertur admittendum fascinum naturale, vt per se constat, ni malint fascinum virus esse supernaturale, at de hoc non est inter Medicos quæstio, fatemur quippè, sæpè Deum in nos pestem, famem, bella, mittere propter nostra quæ frequenter patramus peccata. Sed ij morbi, siue mediis hominibus, siue animalibus. siue elementis iniiciantur, à nullo quem viderim fascina dicuntur, vnde ex gratia gratis salutatoribus concessa, frigidè fascinum nobis persuadetur.

Causa fluoris sanguinis ex violenter occiso homine in occisoris præsentia scrutatur, & fascinum ex ea illatum reijcitur. Apponensis notatus.

10. AD illud de illo seruo Ducis Brigantiæ n. 42. relatum, dicito cum eodem docto Mendoza, opus fuisse diabolicum, nequiuit quippe tãta intercapedine, vel vapor veneficus, vel visualis radius

radius immitti Ibidem adducitur experimentum sanguinis in præsentia occisoris, ex violenter occiso homine fluentis, quod maximoperè iam dudum sollicitauit philosophantium ingenia, & quamuis de veritate non pauci dubitent possémque his adhærere, quia plerosque video affirmantes, illum sanguinis fluorem casu quodam contingere non semper. Vnde occisoris præsentia absolutè causa illius euentus necessaria non erit, sed accidenti extrinseco, aut occasioni externæ tribuendum, velut commotioni Cadaueris aut eius vulnerum, ab aliqua re compressioni, aut dilatationi, velut inter alios affirmant Leuinus Lemnius lib. 2. de occult. Miracul. nat. cap. 7. & Doctus Vicentius Moles in Philosophia illa diuina Corporis Christi cap. 14. dub. 2. conclus. 2. verum experimentum illud admittere placet, tum quia grauissimi, omnis disciplinæ Doctores illud tanquam irrefragabile supponunt, vt inter cæteros apud Mouram videre licet sect. 1. c. 1. n. 31. Estque commune inter prudentes iuris obseruatum dubitantes indè, vtrùm sufficiens ad torturam indicium illud sit, tum etiam quia huius experientiæ abditissimas rationes perscrutari, quæ ab vnis & aliis doctissimis viris redduntur necessum mihi est, quo ex illarum nulla fascinum constare posse commonstrem, & primo certum est, quod ex vi huius, vel illius rationis, admissa vna aut altera sententia, nullum principium adinueniri potest, ad fascinum profitendum. Cum non semel, sed iterum atque iterum, tota hæc opellula, animaduerterim actiones quasuis inter specie dissita euenientes fascini existentiam non inducere, quod implicare contendo inter eiusdem speciei, & conditionis indiuidua; at verò si vera, & vndique constans sit experientia fluoris, sanguinis ex facto functo homine in homicidæ propatulo, iam non procedit contrà meum assertum obseruatio illa, quippè quantum distent inter se, essentia, & conditione occisor, & occisus, cadauer & homo, non est quod vel breui stylo demonstretur.

Sed pensemus nihilominus, quæ præcipui Authores de hac re 20.
senserunt, molestum imò inutile esset omnium commenta in medium adducere; Responsio tradita à Petro Apponensi, si semel verum diceret non leuem ansam fascino à simili inducendo præberet sic habet in commento ad Problem. 6. sect. 7. Aristot. *Sic dicitur quod ex vulnere recenter interfecti iam constricto sanguine*

fluxus sanguinis demùm fit ab interfectoris præsentia ex illis: quod accidit ex motu impresso ab interfectore, ad interfectum, virtute suæ fortis imaginationis, & furiæ. Dicunt enim impreßisse eum spiritus inimicitiæ succensos in interfectum, tempore interfectionis, qui ad præsentiam interfectoris moueantur ex interfecto suo ad interfectorem suum, vnde exiuerunt, propter quod causatur motus in corpore interfecti, & vulnera sic sanguinem emittunt. Conciliator hæc quasi dicat dum occisor occisum aggressus est in illum odio, & ira percitus spiritus quosdam iratos per visum mittit, qui in cadauere latentes, vbi præsens fit occisor, illum conantur adire tanquam ad principium vnde manarunt, qui spiritus cum calore polleant, sanguinem cadaueris aliàs frigidum, ac concretum fundunt ac liquant, vnde per vulnus tum temporis erumpit; & occisorem propalat. Sed hæc solutio illam redolet sententiam Platonis quam dubio 4. à n. 27. referebam, & refellebam, recolito quæ ibi obicci in Marsilium contendentem visionem extramissione alicuius vsque ad obiectum fieri, & quæ in Sennertum dub. 3. à n. 21. notabam & sæpè aliàs hoc opusculo, virtutem imaginatiuæ in externa denegans.

21. Neque creditu facilè est spiritus illos ex homicida in cadauer relictos seruari, ac foueri sine detrimento eorum, aut desitione posse. Cum spiritus substantiæ sint in nobis leuissimæ, calidissimæ, resolui aptissimæ, corrumpi facillimæ atque ex continuo præcipuarum partium, in quibus genesim habent fomento in nobis seruentur, & ex leui quauis occasione alterati corruant, id quidem natura conformiter aliquibus mixtis impertitur, vt quo eorum generatio facilis est sic facilis eorum corruptio: quanam ergò ratione credere compellemur, spiritus, tenuissimas substantias (proinde spiritus dictas quia quasi materia careant,) facillimè alterabiles corruptibiles, seruari, & conseruari in cadauere posse cum illo calore, quo in viuo ac animato corpore fruebantur? cum cadauera, si quæ alia entia in natura aduersissima omni viuenti, aut vitali halitu fruenti sint. In quibus sanguis adeò concreuit semper ob defectum vitalis caloris, & consortium aliorum humorum quorum ratione fluxilis redditur, vt sine dubio fluxus sanguinis in Christo Domino ex diro vulnere è sacro sinu post eius mortem eueniens, miraculo stupendo dari debeat. Incredibile ergo videtur sanguinem concretum frigiditate pollentem

non

non remissa, ab spiritibus qui bene illic seruentur. liquefieri posse.

Santorelius primus Medicinæ in Academia Neapolitana interpres super hoc refellitur.

ANtonius Santorelius Nolanus, vir proculdubio eruditus, qui Apponensem non obscurè insequitur in sua postpraxi medica cap. 21. satis esse prædictæ obiectioni contendens supponit quædam. *Primùm* (inquit) *præmittere iuuat è quouis corpore, & spiritus, & vapores fluere, naturam eius corporis, ex quo fluunt, redolentes, vnde è sano sani prodeunt, impuri, ex impuris. Hinc contagia, senésque quibus malè olet anima, nuper nuptæ puellulæ formosæ & benè nutritæ reiuuenescunt. nempè quantum illi à suaui ac miti puellulæ halitu iuuantur; tantundem hæc ab impuris spiritibus senis offendetur. Præmitto secundò ardentiores & maiori copia hos mitti pro variis animæ affectionibus, vnde desiderant omnes ad fascinationem inferendam inuidentiam, eam vt patet ob causam, vt inflammati spiritus intimius sese in rem visam insinuent, & vehementius lædant.* Hæc ille. contrà quæ supposita recolito quæ contrà Platonem, & eius pedisequum Marsilium suprà obieci dub. 4. à num. 27. neque Hippocrates, quidem neque Galenus neque cæterorum Principum Medicinæ quisquam quod ego legerim talis spirituum extramissionis meminere, contrà verò Galenus 7. de placitis Hippocrat. & Platon. cap. 4. in fine docet expresè spiritus visiuos ad oculos pro visione adiuuanda accedentes cum ambiente aëre vniri illo scilicet qui oculo contiguus est, atque eumdem alteratum ab spiritu ad eius naturam & conditionem immutare, non tamen spiritum vlterius latiusque extendi, & bene profectò, quia illa spirituum extramissio, in natura finem non habet, solum quippe illi in actionum naturalium, & animalium vsum in corpore gignuntur, præcipuéque vt mediis illis ex partibus principibus virtus illa in subditas deriuetur. Præter hæc etiamsi illi imaginationi subiiciantur, quantum ad certos eorum motus, non tamen ad quoscunque, neque pro voluntatis arbitrio, ab ea diriguntur, vt euidenter constat. 22.

Nequeo tamen, non maximoperè mirari Santorelium dum finem transmissionis spirituum in interfectum explicat, ibi. *Cum itaque occisum occisor intuetur transmittit spiritus quosdam, ira & odio plenos, idcirco enim occidit.* Sed quis non futilia hæc contemnat, an occisor, quia spiritus mittit, occidit? an quia vulnus infert? an quia substantias dubias eiaculat? an quia sanguinem & spiritum in occiso sine dubio medio vulnere dispendit? mallem equidem me inimicus mille spirituum turbine offenderet, quam vel leui vulnere confoderet. Sed forte his platonicis assertis non acquiescens sub distinctione placuit Santorelio argumento superiori respondere, dicit itaque omnia in eo dicta vera esse ac proinde non semper accidere vt sanguis in occisoris præsentia è cadauere profluat, sed tunc solum quando occisor accedit antequam frigescat occisus. Sed contrà solutionem extant non leues obseruationes cadauerum sanguinem fundentium, in homicidæ existentiam illis adhuc iam dudum sarcophagis non paucis diebus subiactis Consule Doctorem Molles vbi suprà. Præterea quamuis calor in cadauere, ad aliquas horas durare posset, nihilominus, neque ille neque spiritus; neque sanguis aliquam possunt iam iam vitalem actionem elicere, cum animæ sint instrumenta, sed non separata indigáque, proinde fomento ac animæ concursu, nisi enim calor in nobis ac anima dirigeretur in actiones (docuit Angelicus Præceptor lib.4. Metheor. ipse calefaceret tantum. Spiritus verò vbi primum anima è corpore seiungitur frigent, stupent, commoriuntur. Sed quid moror? calescat cadauer, calescant spiritus eius per aliquod tempus, seruetur ab horum calore, ille qui in spiritibus occisoris in cadauere existit, cur in præsentia rei linquant occisi sanguinem? cur non antea? cur non postea? Santorelius ergo quemadmodum ad Diuinam iustitiam reducit illũ fluxum dum cadauer iamiam friget, idem opinari tenetur etiamsi caleat, vel mille se tricis inuolutum in hac solutione conspiciet.

24. Neque eius supposita, partim negabo: fiant bene contagia à prauis hominũ dispositionibus, fiãt salubres dispositiones mediis vaporibus, ex iuuene senibus, quid inde? non probabit spiritus naturæ ordine in his casibus in externa corpora immitti. Sed solum halitus, & in sene reiuuenescente, ob puellulæ consortium, est

eſt natiuus calor, Natiua humiditas iuuentutis quæ ſiccitatem & frigus ſenectutis reprimunt, extinctum calorem ſuſcitant, vnde ſenibus vigor. lege Gal. lib. 7. Method. vbi pro reparando ventriculo frigido ac ſicco adhæſum pueri boni habitus conſulit, non quia ſpiritus, ſed quia calorem, & humiditatem quibus opituletur habet. Vnde Dauidi fotus ex Sunamitis conſortio. Nullatenus verò ſpiritus hic extramittitur, potius dum inuita natura, in largiori aliqua euacuatione hanc ſubſtantiam ſpirituoſam derelinquit, periclitatur homo manifeſtè. In ſecundo ſuppoſito improbabilius loquitur is author quia ob inuidentiam ſpiritus immitti, intimius in rem viſam ſe inſinuari, & vehementius lædere dictu facile Marſilio fuit, probatu verò difficilè. Super quo latè dub. 4. à num. 22. & quamuis id gratis daretur, ſi infectio illa admittitur medio ſpiritu contagium illam dicendam, & non faſcinum contrà communem pro viribus eodem dubio à num. 4. probaui, denique illa Apponenſis poſitio ſuadentis ſpiritus in cadauere ſeruatos, in præſentia occiſoris ad illum redire conari, velut ad centrum, vnde exiuerunt; fabulantium videtur commentum. Spiritus quippe vt omnis Medicorum ſchola fatetur, non viuunt, ſed neque ſentiunt, vnde appetitus ſunt expertes animalis, qua ergò ratione occiſorem tanquam centrum exoptabunt? id neque ſolum quàndo ille adeſt, quod quidem ſi verum eſſet, neceſſario in ſpiritibus ratio viuendi ac ſentiendi concederetur, quod quantum abſurdi contineat, non eſt quod latiori penu demonſtretur.

Alius dicendi modus adducitur, reiicitur; Leuinius & Valeriola improbantur.

VEnio ad alteros opinantes, qui ex aduerſo præmiſſis opponuntur; affirmant tamen in cadauere ſpiritus quoſdam viuificos ſeruari calidos, ira, & odio in occiſorem affectos, qui in eius præſentia, neſcio qua antipathia homicidam aggrediuntur; tanquam damni proprio ſubiecto illati vindices. Huius ſententiæ Patroni ſunt Leuinus Lemnius lib. 2. de occultis naturæ Miraculis cap. 7. Valleriola lib. 2. obſeruat. 7. & 9. quos inſequi videtur 25.

DelRius, vbi sæpè lib. 1. c. 3. q. 4. ad quos reducito omnes Auicennistas, ac Paracelsicos, quod & Molles animaduertit, tanti habentes imaginationem, vt illi etiam anima separata ius audeant non paruum attribuere, qua positione admissa facillimè infertur, non ex cadauere, sed ex viuo homine ira, odio, aut inuidia concitato, posse bene in alterum Antiparhia certa virus immitti, quod fascinum nuncupetur. Sed quam sit à veritate aliena illa illorum Authorum suppositio prẹter ea, quæ in istos Molles vbi suprà efficaciter iecit. Sic denuò insurgo. Sanguis ille in præsentia cæterorum adstantium ab illa virtute in cadauere derelicta retinebatur; in præsentia verò eius qui necē patrauit ab illa pellitur: quidpiam ergò ex occisore deriuatur in virtutem illam cadaueri inclusam, quo mediante illa ad sanguinis pulsionem determinatur, at hoc in cadauer missum, vel est species quædam præsentis occisoris, vel alia quædam occulta qualitas. Si primum. Ergò in cadauere potentia est vitalis quæ species recipiat sensibiles, quibus fœcundata notitiam pariat, & sanguinem pellat. Ergo cadauer actiones elicit vitales, vide an id facilè concedas. Si secundum. ergò illa qualitas à temperamento occisoris in cadauer producitur, vnde ab eius anima, sed non id, quia anima ob facinus nihil denuo virtutis naturalis vel amisit vel recepit. Si à temperamento. Ergò quoduis cadauer afficiet, imò hominum quemuis, cum illa productio more naturalium fiat. Ergò ex quouis cadauere, aut ex quouis homine fluet, vel per vulnus, vel per naturæ meatus manifestos, id autem nunquam constitit.

26. Dices requiri odium ex parte occisoris respectu interempti, tanquam conditio, aut principium cooperans ad illius qualitatis productionem. Tamen contra est. Quia odium cùm sit actus voluntatis, tum liber, tum immanens, nequit cum temperamento homicidæ ad productionem illius qualitatis concurrere, tum quia sæpissimè is qui facinoris est auctor, Magistratus iussu cadaueri obiicitur, vt millies expertum; at tunc reum potiùs timore affici, quàm odio crediderim. Denique quamuis verum sit ad plures viuentium sensibilium actiones requiri vt conditiones, quod aliæ superiorum potentiarum præcedant, velut pudendorum turgentia ex præmissa cogitatione venerea, ventriculi subuersio ex fastidioso alimento præcognito. at connexio ista naturalis inter facul-

tates,

tates, ac actiones vitales sunt. Illa verò qualitas ex corpore occisoris in occisum missa, vitalis non est, nec actione producitur vitali, nec à vitali aliqua potentia, vnde non expetet ad sui productionem, actum quempiam facultatis superioris, nec voluntatis, sed necessariò in omne corpus sanguine fruens operabitur, atque in eo prædictum casum experiremur, quod sine dubio est falsum. Quod Leuinus supponit de virtute vegetatiua in cadauere derelicta ad aliquod tempus, exemplo sumpto ex vegetatiuis viuentibus, quæ detruncata sæpè frondescunt, ac florescunt. Falsum omninò est; diuersa quidem merè vegetantium, & hominum in hoc ratio est, quia forma vegetatiua diuisibilitatem participat, tota est in toto, pársque in parte, vnde quæuis pars sua partiali forma viuit, vt ita loquar. Proinde si à radice separetur per tempus viuit, quousque alimentum ex illa antea suctum, absumatur. Si verò iterum terræ ramum infigas, sæpè conseruari, ac augeri experiris. Id autem quia ibi est forma, quæ naturales illius plantæ virtutes foueat; at verò rationalis anima indiuisibilis est tota in toto, in huius quauis parte etiam tota, vnde vbi toto deficit, parti deficit, neque vt communis doctrina est, alia forma viuimus, & alia ratiocinamur, quod absurdè Leuinus intendit opinari; sed præter hæc, omnes animæ potentiæ ab ea dimanant, & pendent, in conseruari, quare vbi primum seiungitur à materia, omnes eius potentiæ in materia absunt, non aliter ac lux, in solis absentia, cuius doctrinæ rationem firmissimā auscultat: Omnis effectus, per eandem numero actionem (vel saltim specie) conseruatur, per quam producitur. Constat autem facultates animæ per actiones vitales fuisse productas, ergò per vitales debent conseruari, at in cadauere nullum est principium vitale quod illam facultatem foueat à Leuino in cadauere confictam. ergò in puncto quo anima nostra deficit omnes eius facultates deficient; non erit ergo in cadauere causa naturalis eius fluoris sanguinis motiua.

Sed putat Lemnius tantam esse, ac tam validam naturæ vim, ac imaginationem vt sanguinem in cadauere ebullire, ac accensa bile efferuescere incipiat, modò aliquid vitæ supersit, aut corpus mortuum incalescat in occisoris existentia, quæ doctrina mille scatet erroribus. Primò quia in cadauere vestigium quodpiam imaginationis, aut imaginationem ipsam superesse imaginatio 27.

solum

solum est. Vel si velit imaginationem hominis occisi ante eius fatum qualitatem certam ac vim in sanguine impressisse, cuius causa in præsentia aggressoris commoueatur ac incitetur. Contra est, quia imaginatio formaliter est actus ille quo imaginatiua constituitur in esse cognoscentis actu, siue ille sit speciei expressę productio, siue vnio eiusdem speciei ad potentiam ipsam, erit ergò impossibile, quod extrà potentiam fiat, neque subiectum diuersum attingat, cum semper cognitio, & cognitionis terminus potentiæ ipsi insideant. Ergo nequiuit imaginatio sanguinem illo actu alterare, nedum in eo qualitatem aut conditionem aliquam sigillare nisi velit imaginationem per alium actum ab eo quo imaginatur operari aliquem effectum posse; quod satis nouum videretur & probari difficilius. Secundò perscrutatione dignum est illud *modò aliquid vitæ supersit* quia videtur Lemnius hic, errorem illorum sustinere, qui putabant animam nostram non destituere corpus, quamuis ab eo seiuncta sit, sed per diem custodire, vt Santorelius refert vbi suprà, quod quidem ni fallor sine graui lapsu à Catholico affirmari nequit. Sed esto id daretur, manifestò constat & euidenter vitam ibi adesse non posse, vbi anima deest, at ibi deest vbi non est vnita. qua ergò ratione affirmabitur, aliquid vitæ superesse, vbi principium vitæ abest? Cum anima essentialiter sit qua primò viuimus, sentimus, & mouemur. Fatetur ergo Lemnius viuere cadauer per tempus aliquod sentire occisorem, moueri in illud sine anima quod est absurdum indignum, vt tanto Philosopho ac Medico imponatur, nec possumus negare cadauera calore pollere recenter exanimata, at tunc calor, cum non habeat præcipuam causam à qua gubernetur, ac dirigatur, aut foueatur, ad nullum potest actum vitalem concurrere, proindeque illico marcescit ac extinguitur. Vnde horum Authorum iudicium circa præsens dubium cum tot inconuenientia inuoluat non est quod amplecti debeat neque ex illo existentiam fascini deducere, quod alij curarunt.

Experimenti illius probabilior causa eligitur; ex qua fascinum supponi nequit, fit satis demum aliis obiectionibus.

NE tamen de proposito experimento causam videar prætermittere his adhærere placet, qui prædictum euentum supernaturali ac diuino iudicio attribuunt, itaque vbi immoto cadauere sanguis ex violenter occiso non solum stillat, sed manifestè fluit, non præsentibus quibuscunque hominibus, sed tunc quando alter denuò accedit, is reus mortis probabiliter censeri debet. Id constat ex plurimis experimentis ab auctoribus prodigiosè relatis, ex Magistratuum frequentissima obseruatione, quæ apud illos quisque, non sine admiratione audiet. hanc eandem sententiam (quod maioris habeo) insequuntur omnes præfati in contrarium Auctores, Apponensis sic post præscripta verba dicit. *Sed secundum Theologum interuenit Diuina Iustitia.* Cui iudicio vno dempto Leuino assentiunt Valleriola, Moura, & Nieremberg quamuis Eruditissimum hunc Auctorem tenaciter sustinere Molles scribat. At ille vbi suprà sic habet. *El derramar el cadauer sangre en presentia del que le mato por ventura es prouidencia superior y mas que natural.* quibus omnibus etiam Santorelius adhæret, dummodò cadauer sit iam iam refrigeratum, at verò etiamsi aliqualiter caleat, probatum suprà est illud experimentum causa naturali indigere. Necessariò ergo cogimur ad miraculum confugere ob fines patratum, quos Authores prudenter expendunt, quibus iam ex hoc euentu vestigium ad fascinum probandum, non haberi, satis superque confirmatum manet. 28.

Experimenta taxantur, quatenus ex illis fascinum deduci aliqui tentarunt.

IN calce eiusdem num. 42. referuntur virtutes quædam quorundam medicamentorum per occultas quasdam ac miras qualitates manifestos effectus operantium, quas nec cæcus qui- 29.

dem negare potest; sed non video vnde nam ex illis virtutibus occultis (sic dicuntur quia ad manifestas mixtorum qualitates nequeunt reduci) occultam etiam vim fascinandi in homine respectu alterius deducant. Mihi quidem hæc consequentia videtur disparata. Rhabarbarum vi pollet trahendi bilem, Magnes etiam ferrum, ergo homo vi pollere potest fascinandi per vim occultam, alios; quia quod illæ virtutes dentur in illis mixtis respectu aliorum mixtorum nihil implicationis habet in natura, haberet nihilominus si affirmaretur Rhabarbarum trahere Rhabarbarum, Magnetem Magnetem, quia quæ similia sunt, (vt perdocte Vallesius 4. Controu. cap. vlt.) nullatenus sese immutant; quid ergo ex illa hypothesi deduci potest? id certè, quod homo alterorum viuentium, aut mixtorum respectu, virtutes miras ac occultas habeat, quibus antipathia quadam naturali in illa operetur, quod facilè concedo; at verò naturalem aliquam vim hominem respectu alterius habere posse, præterquam quod omni repugnat naturæ Ordini. Nullum superest naturale principium ex quo illud probari possit, siquidem quod simile est, id congruum amicumque est vt Galenus supponit, & cordatè Moles insinuat, vbi suprà, neque contrà ire Vallesius videbitur, quando ibidem dixit, Antipathiam quandam naturalem, inter nostri corporis membra adinueniri, quia nimirum calida demulcent frigida, hæc etiam calida, eodem iure humida emolliunt sicca, ista confirmant humida, quia Complutensis hoc loco Antipathiæ vocem extendit, ipsam in largiori sensu assumens, quia Antipathia rigorosè sumpta contrarietatem ac naturalem discordiam, seu repugnantiam denotat, vt bene Zacutus lib. 5. de Med. princip. histor. q. 24. ex Plinio docet, ita scilicet vt quæ Antipathia vera inter se operantur destructionem sibi tali immutatione parent, vnde cum actio illa, quæ inter nostra membra tempore salutis intercedit, in indiuidui bonum tendat, largè solum ex Antipathia oriri asseuerabitur, proindè optimè Maroxa quæstione celebri de partium elementis correspondentia in solut. ad 2. dicit nullam qualitatem ab vna nostra parte in alteram productam; esse illi violentam in sanitatis statu, neque id subticuit Vallesius, audi *ita à se ipsis mutuò patientia & sibi ipsis mutuo obsistentia continent se ipsa in mediocritate animalibus vtili. Sed hac antipathia naturalis est.*

est. quasi impropriè antipathia. quia hæc rigorosè disconuenientiam, præternaturalitatem ac discordiam corruptiuam denotat.

Profertur ibidem ille homo ex Oppido de Ocaña adeò visu contagiosus, vt exteros ne dum proprios consanguineos destrueret, at hanc experientiam sæpè hoc opusculo ad rationem veram reductam inuenies recolito quæ hoc dubio à num. 4. super hæc & alia notabam. Aliqua ille casus si verus fuerit, habet quæ de Cacodæmonis opera, possunt facilè argui, qua obsecro ratione credere cogamur, speculum comminui à visiua potentia posse, imò neque ab aliqua substantia ex oculis, & eorum poris exeunte? facilè tamen credam illum hominem contagiosum adeò esse vt cæteros inficeret, sed ille status, illa dispositio præternaturalis erat illi, illa infectio contagium verè à doctis Medicis dicetur, non fascinum, vt non semel suprà & probatum, & repetitum. Quæ denique de attenta imaginatione mira patrante ex vi illa cælesti referuntur, vndè ex eadem virtus fascinandi posset admitti, nugæ meræ sunt supráque reprobatæ dub. 3. à num. 7. & à num. 28. contrà eundem Carthaginensem. Hinc denique habes, si ingenuus est vnde prauam, ac superstitiosam de fascino opinionem, deponas, corrigas, irrideas, ipsamque tanquam laqueum Diabolicum fugiendum, vtinam laqueus iam contritus sit, quo omnes hac superstitiosa caligine oppressi liberentur, ac resipiscant. 30.

DVBIVM VIII.

Poßitnè morbus ope Dæmonis illatus viribus curari naturæ.

CIrca octauum annotato non semel suprà fuisse repetitum hominibus adeò Dæmones infestos existere, vt naturam humanam ab æterna vita deuiare non solum intendant, sed & illam priuare temporali, irreconciliabili odio prosequantur, hoc dubium proinde præmissis inserere placuit, quo scire liceat quanta vi Medicus in illos morbos agere debeat, quantauè fiducia, quos non solum infamis ille hostis induxit, sed etiam permissione Di- 1.

nina proteruus conseruat,remediis,quæ Medicina probat additis salutem hominis sperare præsumat.

Supponuntur morbi omnigeni Dæmonis malitia hominibus illati.

2. ABstrusa disputatio, & salebrosa si quæ alia in Medicina, & quam vix Philosophorum accurata conditio delineauit, aliqua nostrates super illa scripserunt,exteri pauca.Sed quæ Medicis indigna existunt,non miror,sunt quippè propria constantia, ægra quæ aliena. Supponitur in dubio vnum, dæmonem scilicet omnigena morborum materialium sorte torquere nos Diuina permissione posse, probat communis Theologorum sententia cum Angelico Doctore 1.p.q. 115. art. 5. in solut.ad 1. & præter eruditissimum Del-Rium lege doctè lateque congesta à Moura vbi sæpè sect.2.cap.1. à num. 5. ex nostris adito Vallesium subtilem lib.de sacra.Philosoph. cap.28. Carrerum doctissimum disput.13.de loc.à cap. 9. Primarium nostrum Archiatrum Santa-Cruz super Hippocr. lib. de morb. sacr. p.2.à cap.12 Eruditum Zacutum lib.1.tom.1.histor. vltima, scientissimum Sennertum tom.1.lib.6.p.9.c.6.

3. Id quod credibile satis superque est si sacra testimonia aduertamus,& prætereà,ipsum horrendum hostem expendamus,qui ad ipsissima peccata,irrequieto motu nos inducit. at si peccatis nos perdit, quid mirum morbis nos lædat, vnum quippe alterum insequitur,nam propter peccatum mors, ergo & morbi cum ij media sint ad mortem. Morbis deinde propter peccata affligimur, sæpè, non semper, nam & aliquando patimur propter manifestationem gloriæ Dei Optimi, seu ob alium finem supereminenter omni creaturæ absconditum.Hinc pendet omnes quos Christus Dominus sanauit languores à Dæmone non fuisse. Sacra Matth. lectio cap.4. id suadet, verba legito. *Et abiit opinio eius in tota Syria*(loquitur de Christo Domino)*& obtulerunt ei omnes male habentes variis languoribus,& tormentis comprehensos,& qui Dæmonia habebant,& lunaticos,& paralyticos.* Lucæ etiam sic cap.6.*qui venerant, vt audirent eum & sanarentur à languoribus suis,& qui vexabantur*

xabantur ab spiritibus immundis curabantur. En separatim alij ægri à Dæmoniacis notantur.

Supponitur in dubio alterum, ipsum scilicet horrendum hostem, omni nos morborum genere affligere posse, quod vt firmius notescat his, quos aliqua Medicinæ peritia præteriit, præmittere placet, morbum triplici communi ac simplici differentia partiri, vt cum Galeno, & Auicenna, communis schola supponit lib. de differen. morbor. cap. 4. & fen. 2. 1. cap. 2. prima est eorum morborum quos Medici in intemperie, seu mala complexione vocant. Secunda illorum, quos in mala compositione, aut conformatione dicunt. Tertia demum aliorum, quos in Vnitatis naturalis solutione compellant, id quod Pergamenus nos docuit ex vno vero ac euidenti Principio lib. art. Medic. cap. 8. supposito. illud est. *Vitiorum verò genera eadem sunt cum his quæ virtutem perficiunt*. Cum verò quæuis corporis virtus seu potentia vel à debita temperie organi cui illa inest dependeat ad salubriter operandum, vel à proportionata instrumenti quantitate, numero, formatione, aut situ, aut denique ab vnitate naturali partium nostrarum inter se, constat euidenti ratione tunc morbum inuasurum, cum vel complexio, seu naturalis temperies, à proportione euariat actioni naturali debita, vel partes ipsæ quantitate, numero figura aut situ errant, aut vnitas debita partibus disrumpitur. Ex quibus Galenus conclusit, triplex simplicium morborum genus, in natura constituendum, in intemperie, in mala conformatione, atque in solutione vnitatis, à quibus pænè innumerabiles differentiæ, ac innumera accidentia præternaturalia pendent, quæ *Symptomata* cum Græcis Medici vocant, suosque quælibet morbos insequuntur, velut vmbræ opaca corpora. illaque demum mala accidentia quæ continuò morbum aliquem insequuntur, aut comitantur, Pathonomica Medici vocamus, quasi vnicum illius morbi quem monstrat affectum præternaturalem, aut accidens significet. 4.

Quibus medicè (vt decebat Medicum & si rudem) breuiter prænotatis primum suppositum num. 2. prolatum morbum scilicet in intemperie ab infami hoste causari, sic constare arbitror. Primo ex illo viro Dæmonium iam multis temporibus habente, quem vt ex sacra Lucæ lectione cap. 8. constat, Maniacum fuisse 5.

 notescit.

notescit. Voluerunt alij ipsum melancholia affectum. Sed verius puto mania; est quippè hæc, omnium Medicorum sententia. *Delirium sine febre cum furore, & audacia* Melancholia verò *Ipsum Delirium est cum timore & tristitia.* Sed ille homo vestimento, non induebatur, neque in domo manebat, sed in monumentis, vinciebatur catenis, & compedibus custoditus, & ruptis vinculis agebatur à Dæmonio in deserta. Sed quis Medicus non animaduertit, hunc obsessum delirasse cum furore, & audacia? erat ergò Maniacus. Doctissimus Carrerus, cui Mercatus consentit, illum hominem lycantropia, hoc est lupina insania fuisse affectum scripsit. Hæc autem misera passio sub melancholia ab ipso Complutensi reponitur. At subtilis Vallesius lycantropiam seu lupinam insaniam maniæ supponit; id quod Princeps videtur promulgasse fen. 1. 3. tract. 4. cap. 18. verba sunt. *Cúmque melancholia componitur ex rixa, & saltu, contentione, seu pugna, permutatur, & nominatur mania.* Quidquid tamen velis communis sententia Medicorum decernit Maniam, & Melancholiam intemperies esse, illam calidam, istam siccam, atque vtramque cerebri. Constat itidem, vt & præmissi Doctores notarunt, Saulem à maleuolo spiritu 1. Reg. cap. 16. agitatum melancholicum fuisse, sed desperata hæc affectio, vt modò dicebam intemperies cerebri est omnium Medicorum calculo. Ergò ex his constat Dæmonis opera morbos in intemperie homines affici posse.

6. Cùm autem iam Medici morbos qualitatum occultarum, vel si mauis proprietatis substantiæ, aut totius substantiæ, quales venefici sunt contagiosi, pestilentes, maligni cum Galeno, ad prædictorum morborum in intemperie genus reduxerint, huius etiam miseræ conditionis morbos à pessimo, ac communi hoste nobis induci posse, ex illa mortifera Israël illata pestilentia 2. Reg. cap. 24. deduxit aptè Complutens. Garcia, quod assertum cum eo verissimo nitatur Angelici Præçeptoris Decreto omni Philosophorum & Theologorum classi admisso; substantiam intellige spiritualem actiuorum naturalium applicatione, materialem immutare posse, ideò non est quod hic longiori repetatur principio

Statuitur morbos in conformatione & soluta vnitate Diaboli malitiâ nobis induci.

DE morbis verò in compositione, seu conformatione vitiata diaboli prauitate in nos irruentibus notius est quàm referri possit. Puer ille qui apud D. Marc. c. 9. Spiritum mutum habebat, spumabátque, & stridebat, & quem discipulorum Christi Domini, vis ac energia supereminens repellere nequiuit Epilepticus manifestò erat & mulier altera, quæ decem & octo annorum spatio conuulsione spinæ apud sacrum ac Diuinum Medicum Lucam cap. 13. cruciabatur; retractationem inuoluntariam neruorum passam fuisse videtur, at hæc affectio, conuulsio est, eaque & antedicta, morbi sunt instrumentarij, seu malæ compositionis, vt Galenus exprimit 3. de loc. & lib. 6. eiusdem operis capite vtrobique septimo. Idem habet de conuulsione Hippocrates lib. 6. Aphor cext. 39. sic. *Conuulsio fit, vel ex repletione vel exinanitione*. Galen. in phrasi sic Conuulsionem describit. *Conuulsio autem passio est inuoluntaria, ad similem venientibus, neruosis partibus, in ea dispositione quam etiam in motibus voluntariis assumunt.* Idem habet 2. de causis Symptom. 21. lib. de palpitat. ac tremore 2.3. Epidem sect. 1. Comment. 4. & alibi quem Auicenna imitatur fen. 2. lib. 3. c. 5. vnde si causam conuulsionis cum Hippocrate consideremus morbum repletionis, aut inanitionis in conuulsione fatebimur, qui abs dubio ad quantitatem adauctam aut diminutam reduci debet, vnde ad instrumentarios; vt insinuat Carrerus disput. 20. de locis cap. 3. docet deinde DelRius 3. disquisitiorum magicar. q. 3. sect. 5. hanc mulierem Diabolica obsessione conuulsam extitisse, vt claro constet morbis instrumentariis ab inuido ac proteruo hoste nostram naturam torqueri posse. 7.

Deinde diabolum alterum morbi genus, quod vnitatis solutionem partium vocamus, in nos operari, ipse patientissimus Iob demonstrat, tot vlceribus scatens, quod sacra pagina c. 2. dixerit à planta pedis vsque ad verticem capitis fuisse vlcere pessimo percussum. Sunt præterea morbi, quos cum Gal. lib. 1. de loc.

c.6. per consensum ob affectum alterius partis vocamus ad duo capita ibidem ab eodem Magistro reductos, primum eorum, in quibus propter morbum alicuius partis, deficit alteri aliquid, quo hæc ad operandum indiget, sit benè aut facultas, aut materia; vt puta cum animalis virtus, quæ à cerebro in omnes partes distribuitur, quo quæque sua patret opera, impeditur, quominus descendat ad potentiarum organa, tunc etenim, si illa virtus adiutorio neruo deficiat, surditas accrescit, si neruis opticis per quos spiritus, visiuus oculos illustrat, cæcitas nascitur, si thorace ad cauitatem vsque perforato aër per guttur non expiret, instrumentis vocis illæsis mutus homo redditur, quia vocis materia gutturi deficit, quod exsufflatione aëris vocem format, vt Galenus astruit vbi proximè, qua morborum sorte, (altera insinuata relicta) eos cæcos, eos mutos, dæmonis iniuria laborasse, quos Christi Domini piissima manus sanauit firmiter credendum affirmo, vt inde noueris communem hominis aduersarium, omni illum morborum naturalium genere cruciare Diuina permissione posse.

9. Id quod cæcam adhuc antiquitatem non præteriit, vt memoriæ prodidit Auctor libri de morbo sacro, scribens proinde Antiquos Epilepsiam morbum sacrum appellasse, quia eam hominibus à probroso dæmone diuina voluntate illatam credebant, cui Princeps Arabum Medicorum consonat fen. 1. 3. t. 4. c. 18. his verbis. *Et quibusdam Medicorum visum est quod melancholia contingat à damonio.* In quibus sentire constat à procace diabolo Melancholiam morbum induci ex Antiquorum opinione. Demum constat vniuersa hæc doctrina ex signis quibus huiusmodi obsessorum versutia adumbratur; nam præter alia, solent mira proferre, dissita ac occulta propalare, futura aliqua prædicere, idiomatibus invsitatis loqui, super quo consulito Auctorem fustis dæmonum c. 11. & 12. Delrium lib. 6. disquisit. Magic. c. 2. sect. 2. q. 3. de qua re ac exacto etiam eius iudicio recolito Mouram, vbi sæpè sect. 2. cap. 3. à num. 6. ex nostratibus adi Carrerum disput. 13. de locis c. 10. Mercat. 1. de intern. morbor. c. 17. Massariam lib. 1. praxis c. 21. & latè Danielem Sennertum tom. 3. lib. 6. part. 9. c. 6. latissimè Petrum Pipernum 1. de Magicis affectionibus cap. 8. quibus præmissis, ad dubium conuertor.

Adducitur

Adducitur prima ad Dubium responsio, tanquam suspecta & erronea hæresis arguitur.

Et primò non desunt qui velint morbos ope Dæmonis illatos viribus posse curari naturæ: supponuntque Diabolos alios esse aliis superiores aut inferiores, id quod Angelico Doctori, notum est. 3.p.q.43.art.2 ad 3.& supponit imo probat DelRius 2.disquisit.Magicar.q.30.sect.1.& 2.ex quo illi opinantes deduxerunt superiores Dæmones inferiorum opera detinere, ac impedire posse, vt saltim superioribus mediis talis curatio, quæ naturalis censeri debet, fieri & possit & liceat. Huius sententiæ præcipuum sectatorem video Ioannem Brauum Camisium Conimbricensem Doctorem lib.1.meth.cap.7.fol.23.& Fælicem quendam Malleolum, aliàs Hemmerlim Canonicum Tigurensem in 2.tomo mallei Malleficorum ex impress. Francofort anno 1578. qui abs dubio concordant perfido Paracelso, & aliis quos refert Torreblanca lib 2 de Mag.c 50.à num.1. ad 4. abutuntúrque ad id probandum illo Lucæ cap.1. *Salutem ex inimicis nostris, & de manu omnium qui oderunt nos.* impióque apud nos adagio. *hagase el milagro y agalo el diablo.* Conueniunt graues Iurisconsulti apud Torreblanca notandi, affirmantes, quòd quamuis certum extet opus esse diabolicum, eo tamen vti licet ad vitandum aliquod malum, probant ex l. eorum, Cod. de maleficiis, cum alia 12. tabul.& Hispana l.3. titulo 23. part. 7. finali, probant innumeris Sanctorum exemplis, quæ longissimum esset recensere, & qui dæmonibus ad certos fines etiam naturales vsi fuerunt. Ergò, inquiunt, ad salutem temporalem non erit reprobandum, illud Poëtæ approbantes. 10.

Flectere si nequeo superos Acheronta mouebo.

Verum enim verò, nec hoc tutum, nec pium. Est prætereà mei animi intentum dubium quæsitum soluere in merè naturaliter operantibus medicamentis, herbis dicam, lapidibus, animalium partibus, euacuationibus, alimentis. Pro his relatis Authoribus de hæresi omni iure damnandis legito DelRium lib. 3.p. 2.q. 4. sect.8.Mouram sect 2.per totam. Et quę proximius notarant Torreblanca vbi suprà à num. 5. Sennertus lib. Chym. cum Gal & 11.

Aristot.consens.& dissens. c. 13. possunt præfati nebulones illud secum Isaiæ c. 28 proferre. *Percussimus fœdus cum morte, cum inferno fecimus pactum* in quos, & similes illud proclamare non cesso ex 4. Reg. c. 1. *Numquid non est Deus in Israël, vt eatis ad consulendum Belzebut Deum Accaron?* De his curationibus aduertit Chrysostomus tract. contra Iudæos *Neque enim alio modo videntur mederi, neque enim verè medentur. absit quin ego quoque illud mirabilius dicam, etiam si verè sanarent, satius tamen esset emori, quàm ad Christi hostes accurrere, atque ita sanari, quid enim prodest curare corpus, anima pereunte.* O pia, ac toto corde reseruanda verba, argento fuluo, & auro pretiosiora. Imò curationes dæmonis auxilio operatæ, semper in maiorem trahunt perniciem, adhuc corporalem. Quid enim boni à fraudum Architecto sperandum? audi Doctissimum Del-Rium. Vbi toties cap. 3. q. 4. *Accedit quod sic à vulneribus aut morbis sanati, posteà in dolores grauissimos, & sæpè morbos sæuiores reincidunt, vt plurimum, & vitæ exitum pessimum sortiantur.*

12. Quæ veritas sæpè sæpius mihi experimento fuit, & vt plura quæ afferre possem propria obseruatione omittam; per inuocationem Dæmonum eorúmque falsum iuuamen, non licere, vel salutem vel bona temporalia appetere, nedum assequi decreuit, caput *Illos* & caput *ex Tuarum* 26. q. 2. cap. fin. de sortileg. tradidit Gregor. in lib. 3. tom. 23. p. 3. caputque, *qui sine* 26. *q.* 2. sic proclamat. *Qui sine saluatore salutem vult habere, & sine vera sapientia, æstimat se sapientem fieri posse non sanus, sed æger, non prudens sed stultus in ægritudine sua laborabit, & in cæcitate noxia stultus & demens permanebit. ac proinde omnis inquisitio, & omnis curatio quæ à diuinis & magicis artibus, vel ab ipsis dæmonibus, in Idolorum cultura expetitur mors potiùs dicenda est, quàm vita.* Omnium primam ac pulchram rationem expressit Angelicus Præceptor 2. 2 q. 96. art. 2. ad 3. audi. *Ad tertium dicendum, quod ad dominium Diuinæ Maiestatis pertinet, cui dæmones subsunt, vt eis vtatur Deus, ad quodcunque voluerit, sed homini non est potestas, super dæmones commissa, vt eis licitè possit vti ad quodcunque voluerit, sed est ei contra dæmones bellum indictum; vnde nullo modo licet homini dæmonum auxilio vti per pacta tacita, vel expressa.*

13. Ante tamen quàm stadium aggrediar relatos tenebriones

num.

num. 10 monitos velim vt illud *salutem ex inimicis nostris.* Sic intelligant id est vt ibi Doctus Maldonatus, Benedictus Dominus Deus Israël, quia nos ab inimicis nostris liberabit vel, &c. de perfidis Iudæis, intelligant, ex quibus nostra salus, quia Christum Dominum verum Messiam crucifixerunt, vt explicat Moura, vbi semper sect. 2. c. 2. num 4. Blasphemum illud assertum, *agase el milagro, y hagalo el diablo.* Impium omninò esse atque apostasiam sapere, quis Catholicus non aduertit? illos Iurisperitos, veri tamen iuris ignaros; atque medicos illos veræ medicinæ expertes, tanquam hæreticos iam iam exsibilatos, damnant doctissimi Delrius & Moura, & iure, sunt quippe illi medici ex Nebulone Paracelso, horrida naturalis Philosophiæ grando, ac naufraga medicinæ tempestas. De sanctis vero Dæmonibus, vsis ad certos fines etiam naturales, celeberrimæ extant historiæ, id verò licitum fuisse illis ex speciali Dei instinctu, vel Diuina reuelatione docet idem Doctor Sanctus vbi proximè q. 90 art. 2. in corpore, audiant nostrum Fernelium, virum Philosophiæ & medicinæ peritissimum lib. 2. de abditis rerum causis c. 16. *Vt autem magicis artibus, dæmon non res ipsas, quippè quas generare non possit, sed solas rerum species, & spectra quædam exhibet, quibus hominum mentes quasi præstigiis illudat & oculorum aciem perstringat: ita & in his quæ ad medendi vsum quouis modo accommodantur, nec certa, nec tuta, sed fallax, captiosa, & periculosa est sanatio. Vidi scripta chartula collo subnexa vniuersi corporis icterum vna nocte detergeri? vidi & febres verbis, cæremoniis quadamtenus profligari, sed quæ mox similiter aut multo deterius recurrerent. Potest quidem Dæmon quosdam integrè persanare, at tantum beneficium in hominem, quem perpetua consectatur inuidia conferre haudquaquam velit.* Hæc Ambianus.

Qua sacrilega sententia explosa occurrit alia quæ mitiori vngue haud debet vellicari. Fuerunt, qui putarint ante dæmoniaca amuleta dari, res inquam certas vi naturali in dæmonia immediatè pollentes, ipsa nempè è corporibus pellendi, variisque modis concitandi, ac proinde ipsis remediis mediantibus ægritudines, ab his hostibus posse & licere curare, abs cachinno non referam. quædam remedia suo Authore digna perinfamis Lutherus affirmabat gradum Doctoratus diabolicos incursus sua virtute impedire, sed risum mouet hic bonus Doctor, bellè se ipsum cu- 14.

rauit, nam & hoc remedio, & aliis suis quæ aluum olent incursum diaboli in semetipso mederi nequiuit.

Aliorum iudicium profertur variáque in Dæmones medicamina referuntur.

15. SEd adoriar Palæstram iam intrà licitos naturæ cancellos. Eius arcana perscrutans Baptista Condronchus (Delrio Sennertóque referentibus) alexiteria adinueniri scribit, antidæmoniaca, etiam vsque ad Diaboli expulsionem valentia; quamuis litem hanc putat iudicatu difficillimam, vtrique ancipitem, vndique dubiam, vnde ab huius litis sententia calamum abstrahit, ne vel naturæ vel rationi iniuriam mittat. Amatus Lusitanus lib 4. in Dioscor. thapsiam scribit apud Lusitanos adeò infestam dæmonibus haberi, vt quasi elogio prouerbiali dicant. *Eu sou o thon que o diablo fuge onde eu sou.* idem posset de rutha adducere, nam & prouerbio dicto ipsi respondent, *e eu sou a aruda, que sou en tua ajuda.* His accedit Andreas Laurentius lib de mirab. vi strum. sanan. cap. 5. sic scribens. Radix Baara apud Iosephum in historia Hierosolymitana ad expiationes vim habet mirabilem, vt eos qui ab spiritibus vexantur immundis protinus liberet, si eam gestent Cui assentit nouissimè Zacutus 1. de medic. princ. histor 22 q. 13. verba sunt. *Nonne dæmones fugantur radice quadam nata in Oppidò cui Macherus nomen est altissimo monte supereminens quæ appellatur Baaras.* Vbi Iosephi fide 7. de bello Iudaico affirmat ille Author prædictam herbam ad Solis occasum fulgore perfundi, euulsioni non prius cedere, quàm vel lotio, vel menstruo sanguine irrigetur, imò quod mirabilius accipio, si quis illam tum temporis tetigerit morte certò præuenitur. Deinde Laurentius ibidem sic. *Betonicam gestatam, animas hominum, & corpora custodire, nocturnasque ambulationes à maleficis defendere prodidit Antonius Musa Clarissimus Augusti Cæsaris Medicus*, & infrà: *Arthemisia, Rhamnus, hypericon si manu gestentur nocentes feras, & dæmones fugat.* Et nescio qua prærogatiua hanc vim Hypericoni iam vulgus attribuit, vt proinde fugam dæmonum ipsam herbam appellauerit; possent & plurima ad intentum apud eundem

dem Medicum & Delrium obſeruari vt conſtet naturam quodammodo eos pauperare, qui prædictas virtutes dæmonum fugatrices condemnant.

Addo grauiſſimum Authorem Ioſephum lib. 8. antiq. cap. 2. affirmare ſapientiſſimum Salomonem præcantationibus, & coniurationibus, vt dæmones fugaret & morbos ab eis illatos, vſum fuiſſe. quaſi velit vi naturali incantationum mirum illud opus patraſſe. Vlteriùs his etiam temporibus exiſtunt priuati exorciſtæ, qui ſuffitu quarundam rerum in dæmones agunt vt notat Valleſ. cap. 28. proinde affirmant Diabolum ſuffitum cornu caprini, ſulphuris, excreti humani, radicis Salomonis, & plurium lapidum pretioſorum geſtationem moleſtè ferre. Confirmant caſu illo veriſſimo Iecoris piſcis, quod Diuinus Raphaël Tobiam docuit, vt eius interanei ſuffumigio Aſmodeus fugaretur, at illud eius aquatilis hepar probabile videtur, talis effectus cauſandi naturâ fuiſſe donatum, vt probare intendit peritiſſimus Ieſuita Euſebius lib. 1. ſuæ Curioſæ Philoſophiæ cap. 48. de huius generis aliis videndus Ioannes Vuecher. lib. 15. de Secretis cap. 16. ex lib. de morbo ſacro Hippocratis operibus interſcripto, conſtat etiam eſſe quæ in diabolos natiua vi operentur, nam pro eius morbi auxiliis à ſpiritu immundo in illorum antiquorum fide ſemper cauſati, ſic ibi legitur. *A balneis abſtinere iubentes, & à cibis multis, velut ex Marinis quidem, à Mulo & Melanuro, Mugilique & Anguilla, ex carnibus verò à caprina, ceruina, ſuilla, ac canina. Ex volucribus autem à gallo, turture, ac otyda, ex oleribus à mentha, allio, & cepa. Pallium prætereà nigrum habendum non eſſe, neque in caprina pelle decumbendum, neque eandem geſtare oportere neque pedem ſupra pedem habendum eſſe, neque manum ſupra manum.* Quæ omnia expiamenta probata & diaboli fugatricia ea antiquitas habebat. 16.

Item volunt aſtruere dæmones in pœnam ſui peccati ſubiici à Deo prædictis, & aliis rebus materialibus, ita vt ab ipſis, vel ab aliquibus contriſtentur, affligantur, imò in fugam amandentur, quod videtur poſſe firmari æterno igne, quem patiuntur. Iam verò illum materialem, atque ex elementaris genere exiſtere, ſupponunt communiter ſacræ Theologiæ magiſtri cum S. Thom. 3. p. q. 97. art. 5. & 6. At verò dæmones ipſi, ſpiritus cum ſint ab illo cruciantur, alterantur, & dolent, ergo, & ab aliis materialibus 17.

 agentibus

agentibus non implicat per infames spiritus alterari, torqueri, ac fugari ex obsessorum corporibus, aut humoribus, quibus subreptim immisceri solent. Demùm forma nostra spiritualis delectationem, & dolorem quotidiè à sensibilibus experitur. Ergò & ipsi praui spiritus eadem pathemata sufferre non implicat, at si implicatio non sit, erit profectò quod morbi ab eis causati, viribus possint curari naturæ.

Distincta morborum veneficorum vera natura; dicendi modus communior exponitur.

18. NE tamen in dubio dissoluendo ambigua oratione obruamur, animaduersione dignum est præmittere morbos ope dæmonis illatos pauciores esse re, quam veritate. Aliquando quidem versutus hostis vtpote scientia Medica præstantissimus in homine præuidet morbosum apparatum, cuius causa in morbum grauem prolabi est per naturam necessarium. Tunc ergò sagas monet, ac veneficas suadet (cum quibus pactum heu dolor expressit) vt signum alioqui inefficax vanum, ac friuolum huic vel illi loco apponant. futurum exinde promittens, vt illico ille homo in grauem morbum incidat, accidit itaque pro voto, at tunc notum est illum morbum naturalissimas habere causas pérque naturales contrarias à docto, ac perito Medico si lethalis omninò non sit aboleri posse. De quo dubium non est, sed isto euentu id fraudulentus spiritus assequitur, quod scilicet rudem ac miseram veneficam decipiat putantem hominem morbum incurrere quia signum loco, aut modo ab infami socio consignato supposuit. Aliquando verò execrandus ipse humoribus humanis se immiscet, eos mouet, alterat, ac mille modis conspurcat, tum eos extra naturalem eorum locum reponens, ac seruans, vbi necessariò corrumpi ac labefactari debent; tum etiam applicans illis agentia corruptiua, pestilentia ac maligna, in quo miserabili euentu humana salus innumeris exposita malis tot, tamque varia accidentia compatitur vt monstrifera morborum ac symptomatum farragine exorta iudicium etiam expertissimi Medici, hinc inde anceps, dubiumque reddatur. Accedit his non raro viarum

naturalium per quas è principibus membris facultates distribuuntur, à calido spiritu occlusio, ac compressio, tunc rari morbi obiiciuntur, aphonia, id est impedita vox, cæcitas, surditas, stupor, Paralysis & mille alia monstrosa accidentia, de quibus omnibus dubium præsens, non enim aliis modis, à proximo infernus spiritus morbos nobis immittere potest. aliter licet sentiat Sennertus tom. 3. p. 9. lib. 6. cap. 9.

Dicam ergo quid senserint doctiores de hac re, (mox ex proprio marte sententiam proferam nouam fortè, sed correctioni submissam) iuxta triplex morborum suprà consignatum genus. 19.
Morbus in intemperie à Dæmone illatus viribus potest curari naturæ. Fauet Doctissimus Iesuita Delrius lib. 6. disquisit. cap. 2. sect. 2. Moura vbi sæpè sect. 2. c. 5. num. 8. Vallesius de sacra Philosophia cap. 28. Carrerus disput. 13. de locis cap. 9. & constat ex ante supposita doctrina dæmones scilicet nullam posse per se efficere alterationem materialis substantiæ (omitto inpræsentiarum impulsum) sed solum mediis naturalibus actiuis, sed si impius ipse humorem puta biliosum, cerebro vel cordi applicet, qui calorem disconuenientem alicui illarum partium accendat, certum est quod applicito contrario frigido medicamento illa calida intemperies potest & debet corrigi, quia actio illa bilis, nihil habet intrinsecum ex dæmone humorem applicante, quod non haberet si naturali modo ibidem ipsa bilis poneretur, neque terminus illius actionis alterius naturæ aut conditionis propterea fit at si per naturam illas partes calfaceret posset per frigida medicamenta illa intemperies temperari; ergo eodem modo à dæmone applicita.

Vlteriùs ipsa agentia medicamentosa, naturalia cum sint, ne- 20.
cessariò effectum primarium debent operari. ni obstet impotentia passi, desintuè conditiones; at supponitur subiectum capax, nam partes viuentes alterationibus continuò sunt obnoxiæ. Sed neque obstabunt conditiones, aut deficient. Cum medicamentum frigidum interius sumptum, aut foras adhibitum commoda distantia adest, quo possit operari in cor aut caput, ni malis posse calidum aduersarium, applicationi medicamenti obstare, ipsum scilicet furtim remouendo, aut raptim separando; id quidem ipsum spiritum posse Diuina permissione fatebor, at tunc non est,

quia

quia actionem medicamenti impediat, sed applicationem. Quippè, actiuorum naturalium actiones, cum à Deo Optimo se ipsis pendeant, liberè illas eliciente, solum ab ipso substrahi, aut impediri possunt, at si agentia non applicentur, vel applicita semoueantur à diabolo; effectus non sequetur, sed tamen semel adhibito remedio, non potest non intemperies corrigi, ac morbus huius generis curari. audi Eruditum Iesuitam, vbi proximè. *Si dæmon duntaxat vsus fuit efficacitate agentis naturalis, nec de suo addit malitiæ aliquid artificiosa commixtione vel industria sibi nota, & hominibus incognita, vel fractura & continui solutione, vel detorsione occulta, tunc posset fieri, vt totum maleficium naturalibus quæ Medicorum ars probat remediis tolleretur.* Quauis ergò circumstantia seclusa, intemperies diabolica (vt sic loquamur) naturali remediorum auxilio medicari poterit.

21. Prætereà timor & tristitia Saulis pessima melancholiæ accidentia ex vi Dauidicæ melodiæ leuamen habebat, hoc autem ideò fuit, quia soni illius acordis species sub ratione conuenientis delectabilis à cogitatiua Saulis percipiebantur qua cognitione existente, necessariò contraria deficiebat timoris, vi naturali, vt voluerunt, subtilis Vallesius, & doctus Carrerus ille cap. 28. de sacra Philos. iste disput. 13. de loc. cap. 9. ratio efficax est, quia dæmon non est in obsesso, seu in eius humore per operationem procedentem ab ipso, prius quippè supponitur dæmonis ad humorem adhæsio quam humoris operatio. Vndè quamuis ex vi eius acordis speciei imaginatiuam Saulis aut cogitatiuam informantis non cogeretur dæmon obsessum, aut humorem deserere. Acto verò ex humore orta, necessariò per naturæ contrariam debuit retardari, aut impediri. Et quamuis sacra lit. 1. Reg. 16. affirmet spiritum eo casu abiisse ibi, *recedebat enim ab eo spiritus malus.* priùs arbitror cum prædictis Doctoribus, prauicordem spiritum Diuina voluntate pulsum fuisse, propter Diuinos quos cantabat Dauid Hymnos, quam ex acordis Cytharæ disonis, vel quia vt & Delrius notat, Dauidicum instrumentum Crucem Christi Domini præfigurabat, vel quia, vt & probabile proximis Doctoribus est, tunc solum teter spiritus miserum Regem torquebat, cum tristitia, & timore afficiebatur, quibus deprauatis cogitatiuæ actibus, media dulcifera voce, eiusque mulcebri specie illa potentia

fœcundata,

fœcundata, temperatis, spiritus discederet Diuina conditione, Quamuis propter contrarium actum discessurum, non videtur absolutè rationi consonum. In quem sensum inclinari video doctum Iesuitam cui non dissentit Eruditissimus consocius Mendoza in virid. lib. Problem. 8. qui opinatur Saulem non malo spiritu, sed atra bile (humore pessimo, principióque grauissimorum in homine accidentium) fuisse vexatum, idque ex Azoris sententia, nomine *spiritus* in sacra lectione *atram bilem* interpretantis. Quidquid tamen de hac re sit, rationi maximè consonum est, vt ex dictis pendet, morbos qui in alteratione solum consistunt, hoc est in nuda excedentium qualitatum natura à dæmone causatos, quauis alia circumstantia seclusa, viribus posse curari naturæ.

De morbis instrumentorum firmatur communis sensus.

SEcundum morbi instrumentalium partium genus seu vt alij dicunt vitiatæ compositionis, aut conformationis, (nihil refert an hoc an illo nomine vtaris, quadrifariam diuisit Galenus lib. de different. morbor. cap. 6. & lib. art. Medic. cap. 8. vbi sic habet. *Vitiorum verò genera eadem sunt cum his quæ virtutem perficiunt, temperatura quidem in consimilibus, numerus autem & formatio, & magnitudo, & situs, in instrumentariis.* Instrumenta itaque nostri corporis, velut caput, oculus, brachium, pes, &c. numerum certum, determinatam figuram, magnitudinem limitatam, ac consignatum situm, à natura habent, à quibus vel à singulis vbi euariant morbum instrumentarium formant, eiusque partis actio naturalis vitiatur, ac læditur, quorum quadriformium morborum causas, aut naturas, substantias necessariò existere, nunc superfluentes, nunc verò deficientes manifesta constat experientia, & Galen. ostendit lib. de caus. morb à cap. 7. ad 10. sic lapis in renibus, naturalem cauitatem obstruit, numerum, aut vesicæ figuram vitians. Sextus digitus, organum manus naturale lædit. Idem habet si quintus absit, aut alter oculorum desit. Iecur in sinistro hypocondrio, aut lien in dextro, vt non semel obseruatum, situm naturalem cuique debitum turbant. *De his ergò omnibus fuit* 22.

communis sententia naturalibus remediis curari non posse. Omnium ratio est, quia hi morbi vt constat pendent, ex præsentia alicuius superfluæ substantiæ, vel ex defectu alicuius naturalis, vt ex Galeno dicebam. ergo debent prædictæ substantiæ, vt morbus de medio tollatur, ex illo *vbi* pelli si superabundant, aut ad naturale trahi, si deficiunt, at si proteruus spiritus vel præsentiam superfluentis conseruat, vel tractioni substantiæ ad generationem deficientis obsistit: impossibile per naturam est, quod illi morbi deleantur, quippe vt Iob 41. dicitur, *non est potestas quæ comparetur ei super terram, qui factus est vt nullum timeat.* Iuxta quam doctrinam Doctor Angelicus 3.p q. 58. art. 2. ad 3. docuit impedimentum generandi perpetuum esse posse, ratione maleficij, atque humano priuari remedio, quamuis superior creatura spiritualis posset eius vim superare, vt docet Angelicus ipse Præceptor 3 p. q. 43. art. 2 ad 3. Idem sentiendum videtur de morbis ab alicuius humoris mole ac præsentia pendentibus, quantum ad eorum vacuationem propter rationem eandem.

23. Sunt qui velint Diabolum immediatè superari non posse, propter adductam rationem, posse verò ipsum è corpore, aut humore, cui hæret fugari, aut pelli. ratione dicunt, inuidentiæ, quia quæcumque fiunt circa corpora obsessa, dæmones accipiunt, tanquam facta, ac vergentia in ipsorum despectum ac ludibrium, maximè si sint irrisiua, & afflictiua, vt sunt flagra, item omnia fœda & amara, quare cùm sint intolerantes iniuriæ, malunt fugere, atque à molestia desistere, quam contemptionem, aut supplicia ferre. Sed hoc si attenta mente pensetur, sine ratione dicitur, quia prædicta omnia causatiua passionum naturalium nequeunt in materialem transmutare substantiam. Deinde fœda & amara olfactum ac gustum immutare habent, sed hæ potentiæ materiales sunt, atque earum operatio pati quoddam est, vt Arist. docet lib. 3. de anim. quamuis ergò atri spiritus tristitiam patiantur media intellectiua operatione, at verò contristantia fœda, amaráque mixta eos immutare sub illis rationibus non possunt, cum id solis potentiis materialibus insit, spiritualibus verò omninò absit. Vlterius quamuis illa & alia materialia obiecta ab infestis spiritibus cognoscantur, vt contraria aliis agentibus materialibus ab eis applicitis, at talis cognitio vt claret, nulla ratione poterit

perfidos

perfidos ipsos obligare ad fugam, neque eorum cogere peruersam voluntatem. Demum quia & si illa affligentia mista ab ipsis cognoscantur, vt irrisiua & applicita in eorum contemptum, possunt nihilominus persistere ac in pessima obsessione perseuerare, cum tunc adhuc sua vtantur libertate, & semota quauis alia superiori virtute non est tunc aliquod principium quod eorum auferat libertatem, quia cognitio irrisionis & opprobrij per se nequit voluntatem ad fugam cogere. id quod in tormenta vltro patientibus manifesto constare arbitror.

Idem iudicium esto de illis morbis quos *per consensum* dicimus, quosque in dubij limine adumbrabam hi namque, siue excitentur quia potentiæ ad actionem vitalem eliciendam principium, seu materia necessaria deficiat, (vt spiritus seu cerebri illustratio, pro sensu & motu subiectarum partium,) siue quia parti alicui nostri corporis materia inutilis ac nociua ex alia parte communicetur (vt cerebro è ventriculo fumosi, ac molesti vapores) certum videtur Authoribus, quod dæmone callido prædictas materias, aut impediente quo minus communicentur, aut nociuas impellente quò magis lædant, nulla potest dari virtus super terram contra eius nutum operans vt num. 22. retuli. Potest, dicunt aliqui multiscius dæmon, in Athleta adhuc pertusa vena, sanguinem contrà ordinarium, & naturalem fluxum cohibere, atque cathartico exhibito humorem, ad communes vias trahendum contra medicamenti purgantis finem firmare. in quibus & huius sortis aliis consona videtur mihi communis Doctorum asseueratio. Velut de illo morbi genere quod in soluta naturali vnitate consistit. Cuius vt constat, reparatio in repositione substantiæ deficientis inuenitur. hæc autem occursu sanguinis, aut humoris nutrimentalis, actione nutritoria partis, fit. Si verò sæuus spiritus tales substantias, vel retineat, vel vsurpet nec ille morbus deficiet, nec contra eius renixum virtus sublunaris operari valebit, ex quibus videtur communis sententia verosimilia concludere, de trifaria morborum natura, ope Dæmonis illatorum; in quibus vno dempto, quod intemperiem vocant, omnis salutis spes euanescit. 24.

Sensus præmissæ sententiæ traditur, adducitur noua, & probabilior.

25. SEd quæ de huius generis morbis secundum commune placitum hucusque expressa sunt, dummodo permissione Diuina ipse virulentus hostis, cum quem potest, & velit impulsum, vel mouentem vel conseruantem prædictis substantiis, aut humoribus imprimat intelligenda fore videtur. Sic quippe accipiunt Doctores vniuersim eam quam suprà retuli sententiam. Sed nulla vt puto spiritualis creatura à Deo optimo noua loco motiua virtute donatur, neque sola voluntate (vt doctè DelRius 2. disquisit. Magic. q. 16.) aut intellectu; illimitatè, & infinitè quodcunque volet corpus, & quando velit, & quo velit, & quanta velit celeritate mouere potest, id enim infinitæ virtutis Dei solum est. Ergo determinatè, & cum limitatione pessimus spiritus intra nos humores, aut substantias, vel mouet vel retinet, quia vt optimè Angelicus Doctor 1. p. q. 110. art. 2. Substantia spiritualis corporalem nequit mouere ad nutum. Prætereà virtus Diaboli sæpè determinatur, hoc est limitatur à Deo optimo, vel astutus ipse tantam, tantummodo applicat, quia intensiorem disconuenire callet, vt post modum monstrabo. ergò in hoc aut illo casu naturalis virtus materialis contrà Dæmonis operam haud frustra laborare poterit, non in ipsum spiritum. In quo sensu doctissimum DelRium accipio lib. 6. disquisit. Magic. cap. 2. sect. 2. q. 3. ibi. *Non assentior his, qui omnem omninò efficientiam rebus corporatis, in dæmones tollunt, neque his etiam, qui directam vllam vim naturalem in dæmones, concedunt, vt videntur concedere Faius, Petrus, Gregorius, & alij. Sed his assentior, qui secundariam, & indirectam tantum tribuunt, quæ sententia peritiorum Medicorum, & Theologorum fuit.* His consentit Petrus Pipernus Medicus procul dubio doctus apud Italos Beneuenti Indigena lib 3. de mag. affect. c. 1.

26. Neque his dissentit Diuus Thom. 1. p. q. 115. art. 5. vbi agentibus omnibus materialibus efficientiam in Dæmones negat siue mediatam siue immediatam, siue directam siue indirectam, siue per se, siue per accidens. loquitur quippe ibi de actione cælestium

stium corporum in ipsosmet spiritus, quos vlla ratione cælestia agentia aut sublunaria immutare non est possibile, at eorum actus, aut termini, quos mediis agentibus naturalibus producunt optimè per contrarios, aut remitti aut impediri possunt, imò eorum impulsus, vt posteà ex ipso Sancto constabit, vnde si operatio ipsa, aut terminus agentis naturalis corporei, actioni dæmonis comparetur, aut eius termino. Videtur mihi affirmandum agens materiale aliquando posse ex vi propriæ actionis, illam quæ praui spiritus est superare immediatè; id quod de actione alteratiua in morbis in intemperie suprà num. 19. firmaui. De his verò quos instrumentarios dicimus, aut per consensum, aut in soluta vnitate naturali, idem concludendum reor: hos scilicet omnes ope dæmonis illatos, viribus posse curari naturæ, voluere quidam immediatam operationem solùm esse à Deo, aut ab Angelo, concurrente cum agente materiali, ab hoc autem mediatam omninò esse, sed si hoc accipiunt de cruciatu aut fuga ipsius praui spiritus; verum mihi videtur: at de actione ipsa, qua mediante Deus, & agens corporeum operantur; & de actione illa qua altera quæ spiritus est retunditur, aut aufertur; falsum esse puto Ratio est efficax; quia actio qua mediante agens corporeum in actionem agentis naturalis à Dæmone appliciti proximè, & immediatè operatur, eadem est indiuisibiliter cum ea quam Deus aut Angelus in eandem actionem Diabolicam eliciunt. ergò si prout à Deo aut Angelo immediatè tendit in Diabolicam operationem, sic etiam immediatè, prout ab agenti materiali. Ipse quippè supremus Artifex nihil in operando naturas rerum materialium (si miracula excipiamus) peruertit. Vnde optimè scripsit doctus Vallesius cap. 28. citato, conferre quidem curationes non in ipsos dæmones per se sed ob morbos ipsos, aut eorum symptomata, aut internas causas, quas dæmon ciet.

Adde quod nuper monstrabam diabolum debere limitato motu, accommodatóque impulsu, humorem vel trahere, vel retinere in nobis, sic quippè morbi instrumentarij de quibus loquimur, solùm causari ab illo possunt, media scilicet latione noui *vbi* acquisitiua, aut conseruatiua. De hac itaque opinor dicendum naturali virtute medicamenti superari posse, quia impulsus intensio, aut eius celeritas resistentiæ impulsi accommodari 27.

debet. Destruetur aliàs delatum, corrumpetúrque: ausculta Angelicum Doctorem lib. 2. contra gent. c. 90. *Si aliqua substantia spiritualis, vnitur alicui corpori naturaliter, sicut motor proprio mobili, oportet virtutem motiuam illius substantiæ limitari ad corpus mobile, cui naturaliter vnitur, nam cuiuslibet motoris propria virtus, non excedit in mouendo proprium mobile.* lib. item 1. de cæl. & mund. lect. 3. super text. 7. sic habet. *Circa quod sciendum est, vt dicitur in 3. Physic. quod motus est actus mobilis, actus autem proportionatur perfectibili. Vnde oportet motus proportionari corporibus mobilibus.* Deinde q. 16. de malo art. 9. ad 7. docet, Angelum quamuis per voluntatem corpora moueat; habere ex natura sua, definitum modum ac potestatem mouendi, quam non potest excedere etiamsi velit, quod intelligo non solùm quantum ad intensionem virtutis sed quantum ad modum etiam corpora concitandi, id quòd & expendit Eruditissimus Delrius lib. 2. q. 16. in fine. Si enim quanta velit pessimus spiritus, vt ad pensum redeam, celeritate humorem moueret, aut aliam intra nos substantiam, abs dubio ipse humor attenuaretur, discuteretúrque, quod læsioni quam ipse intendit maximè aliquando obesse maleuolus ipse callet. Ergò vt humor Melancholicus, v. g. quo ipse plerumque vtitur, cerebro applicitus sua tenacitate, ac qualitatibus propriis potentias hominis rectrices lædat, debet, cùm ad caput accommodato impulsu ferri tum in illo accommodata actione conseruari tunc sic. Dæmon potest & debet mouere humorem ad cerebrum impulsu vt duo in intensione; at eiusdem roboris actione conseruabit ipsum in illo *vbi*: ergò si applicetur medicamentum ipsum impulsum superans (est quippè applicabile) certum est humorem euacuandum, velit nolit, Spiritus nequam, ni applicationem medicamenti ipse lædat.

28. At dices ipsum astutum aduersarium actionem conseruantem eius *vbi* humoris contra medicamenti operam intendere posse. Tamen contra est, quia noua lationis intensio absque nouo *vbi* aut à loco remotione dari nequit, non enim vt optimè Doctissimus Suarius disput. 51. 2. tom Metaph sect. 6. num 11. *vbi* seu præsentia localis intendi aut remitti potest, non enim præsens in eodem loco persistens ibidem seruari potest cum intensione noua eiusdem *vbi*, velut nec distantius, aut proximius sine

nouo *vbi* constitui potest, sed si intendat nouum impulsum spiritus, vel à loco vbi humor nocet, separabitur, vel discutietur, cum agitatiori motu cieri nequeat absque sui discussione, vt enim non quodlibet agit in quolibet, sed determinatum in determinato, ità non quodlibet patitur à quolibet, sed determinatum à determinato, quia agentis, & patientis idem est respectus, & conditio. Debet ergo dæmon, & si inuitus, actionem motiuam humoris, aut loco conseruatiuam moderari, moderatam verò humoris conseruationem in loco à naturali agenti absolutè vinci, ac superari posse quis negabit? id quod in productione aliquorum entium, media actiuorum naturalium à dæmone applicatione confirmari potest; ipse quidem vt locustas, culices aut ranas extra suas causas ponat, agentia naturalia inuicem applicare tenetur, non in quauis quantitate, aut qualitatum intensione sed in certa, ac determinata, vt ipse callet, at cognita causarum congerie, posset à contrariis destrui, quia determinatę quantitatis esse tenetur, non ergò aliter dum corpora mouet, si illa destruere non habet, quantalibet motione ciet, sed determinata ac corpori moto proportionata, hæc autem si ab alio creato, ac corporeo agenti penderet, remediis naturalibus posset superari. Ergò etiamsi à Diabolo, ergò morbi instrumentarij, aut per consensum aut vnitatis solutio naturalis, quando à latione diabolica pendent, viribus possunt curari naturæ.

Sed an proteruus spiritus hoc ipso abibit, quod instrumentum 29.
sui operis remoueatur, affirmare licet, si dixeris ipsum hostem ibi adesse per vnionem ad humorem quem medicamentum trahit, nam semoto illo quidquid ei alligatur remoueri debet; secus esset dicendum, si alij esset corpori vnitus, oculata nihilominus sæpè monstrauit experientia, instrumentis maleficis remotis, igniue traditis, ab opere & maleficio obsessum liberari, non quia deficiat pactum. an credes tantum infidelem pacto staturum? minimè. recolito ea quæ de hoc obseruat Torreblanca lib. 2. de Mag. cap. 6. à num. 11. Sed fortè abit, quia deficit signum quod pessimus ponit ad morbi durationem, sic Delrius lib. 6. disq. cap. 2. q. 3. sect. 1. Pipernus lib. 2. de Morb. Mag. c. 4. edocti à subtili Scoto omnigenæ eruditionis Doctore sect. in 4. distinct. 34. q. vnica §. de secundo num. 4. versic. *Quod igitur*, vbi sic docet. *Si per orationes*

Sanctorum

Sanctorum impediatur virtus dæmonis benè fit, si tamen Deus illas non exaudiat, tunc si sciretur maleficium, & destrueretur, dæmon non fatigaret amplius, quia ex pacto non assistit, nisi dum durat aliquod signum. Si ergò signo aut instrumento extrinseco semoto compertum est non raris experimentis, sed innumeris diabolum à læsione hominis desistere, verius conuinci potest eundem cessaturum instrumento proximo, humore scilicet è corpore obsessi vacuato, cum morbum ipse patret, nostrorum humorum plerumque interuentu, & abusu.

Supponitur remotionem signi diabolici licitam esse, & curationem medio medicamento naturalem, contrà Petrum Pipernum, & Danielem Sennertum Medicos eximios.

30. SEd rogabis, an hæc curatio naturalibus adscribatur. Sed ante responsum animaduertendum, duco, quæsitum hoc, non esse de signo externo, quod Dæmonis iussu veneficus hic vel illic supposuit, spe morbi quem infensus socius homini illaturus est. Hanc quippè curationem licitam ac naturalem esse, ex subtili doctrina proximè habes illámque adeò comprobat Eruditissimus Iesuita DelrRius, contra quendam Ioannem Helses à Louanio, quod vbi proximè sic scriptum reliquerit. *Vnde patet hanc esse sententiam planè communem Hispanorum, Germanorum, Italorum, Gallorum, Britannorúmque Theologorum quidem scholasticorum omnium, Nominalium, Scotistarum, & Thomistarum. Ex quibus multi Cardinales, & Episcopi & Magistri sacri Palatij fuère, cæteri dignitatibus aliis aut eruditione saltem, & pietate conspicui. Quare cum sit incredibile, tot Academiarum præcipuarum Professores in hoc dogmate ad mores pertinente, vsque ad Hesselium errasse: & hodie quoque errare, tum in lectionibus publicis, tum in confessionibus audiendis, tum in ipsa praxi quotidiana, idque errore tam periculoso, sanè non videtur carere temeritate, qui hos omnes inscitiæ, & erroris condemnare audent, & puniendos putant, quotquot sola etiam authoritate talium adducti maleficij signa remouerunt.* Quæ transcribere placuit, vt

lapsum

lapſum ne dicam errorem Danielis Sennerti detegam tom. 3. lib. 6. p. 9. c. 8. fol. mihi 1152. col. 2. §. *& ſi verò* ſic ſcribentis. *Verum enim verò errantium multitudo, non parit errori patrocinium, neque nouum eſt multas opiniones publicè defendi, non quia vera ſed quia communes.* Itaque audet Sennertus cum Guillelmo Eſtio & Bodino erroris Scotum accuſare, quippè vbi proximè dixit remotionem talium ſignorum meritoriam eſſe nedum licitam. Ego quidem malo ſententiæ Scoti, & Delrij credere, quàm temeritatem & arrogantiam Sennerti, & aliorum approbare, vereantur ergo latrare quos, nec mordere, nec fugare poſſunt. Rationes prætereà quas Sennertus addit minoris momenti ſunt, quam Scotiſticam, & Delrianam ſententiam eneruare poſſint. Opponit primò ſic. Si maleficij ſuſpicio ſit, & illius media ignorentur, non niſi per veneficos & ſagas patefieri poſſunt, quæ tamen cum huius rei notitiam non habeant, vt de maleficio certiores fiant Diabolum conſulant neceſſe eſt. Sed neque à Diabolo neque à malefico conſilium licet expetere. Ergò neque amouere maleficij ſignum Reſpondeo tamen ſæpè media maleficij non ignorari, permittit quippe Dei miſericordia, vt ea vel labore vel caſu inueniantur, at tunc illa non deſtruere impij ac irreligioſi animi eſt. Sed eſto illa ignorentur, nullus ex communi ſententia putabit conſulendas ſagas, hoc quidem nefas eſt atque à num. 11. & 14. reprobatum, quod enim communis ſententia exponit, id eſt, quod ſcilicet adinuento externo maleficij ſigno media Diuina voluntate, aut naturali diligentia illius deſtructio licita ſit, vnde falſo ſupponit Sennertus non niſi per ſagas prædicta ſigna explorari poſſe. Secundò ſic reclamat, qui remotis iſtis ſignis morbum à maleficio inductum ceſſaturum putat, eo ipſo rebus illis vires nocendi quas nullas habent tribuit, & Deo prætерito à quo ſolo morbi immittuntur, à Diabolo, & eius organis opem petit. Reſpondeo tamen nullum doctum, aut cordatum putare externa ſigna vires nocendi ægrum diſtantem habere Sed quod Diabolus illi conditioni hærens, vt ſagas decipiat humorem, aut venenum applicat, quo ægrum cruciet, quo ſigno externo ſemoto, tantum abeſt quod Dei obliuiſcamur, quin potius ex amotione ſperamus ſalutem ſuperuenturam ab ipſomet qui fortè licentiam peſſimo conceſſit ſub illo tantùm ſigno nocendi. In quibus nec

Dei obliuiscimur,nec(quod ipse auertat)dæmonem consulimus. Tertiò sic replicat:qui signa tollit vel sanitatem sperat à naturali causa,vel à Diuina,vel à diabolica, non à naturali, cum illa signa causa naturalis morbi non sint, non à Diuina quia tunc Dei auxilium non imploratur. Ergò si sperat salutem tunc à Diabolo sperat,quod nefas est operari nedum dici. Respondeo tamen ex signorum ablatione salutem operari à Deo, & naturali causa; à Deo à quo omnis medela, & à quo omnis causa, & omnis effectus essentialiter pendent, & quem in tali casu supplices exorant tum ægri, tum cæteri, qui exorcismis,aut precibus, salutem obsessi expetunt. A causa naturali verò, quia semoto signo diabolico, cessat pessimus hostis ab opere, quod non medio signo, sed alio instrumento proximo patrarat, & tunc applicito naturali remedio, aut natura morborum medicatrice media, salus acquiritur. Sed qua ratione dæmonis proximum instrumentum possit per naturam auferri, huius dubij solutione proxima explicitum habes.

31. Potest ergò quæsitum procedere de remotione humoris instrumenti proximi,quo infensissimus hostis vtitur. Constat curationem hanc non esse Diuinam, nulla quippè supernaturalis instrumenti operatio tunc interuenit, dum medio naturali medicamine causa morbi diabolici coniuncta remouetur. Putabit fortè Sennertus hanc curationem etiam esse diabolicam, ac proinde illicitam,cum remotio humoris, remotio instrumenti diabolici sit. Vera tamen numero proximo adducta sententia hanc refellit ac reprobat,neque Sennertus tale putat, cum hanc curationem naturalem instituat cap. 9. sequenti. lapsum Piperni etiam hic animaduerto, qui rationibus & Authoritatibus à doctissimo Delrio vbi suprà congestis commotus, sed futilibus, ac fucatis à Sennerto iactis perterritus,mediam viam soluendi dubij excogitat. Nam primò sentit curationem, veneficij media externorum signorum remotione maleficam priuatiuam debere appellari: illam verò quæ mediis medicamentis perficitur, finem assequi fatetur,tanquam instrumenta Diuinæ iustitiæ, non quidem physica, sed supernaturali virtute eo modo quo infernus ignis spiritus prauos torquet,idque c. 1. lib. 3. ad calcem firmat.

32. Quoad primum attinet, non facile habeo sensum huius *Itali* capessere,

capessere, quia remotionem signorum maleficam priuatiuam appellare, perinde sanè videtur ac si priuationem maleficij diceret, sed si hoc modo accipiat. Dubium habet insolutum, quia priuationem illam malefici signi causare; dubium est apud ipsum an liceat, vel secus. Vel si putat remotionem signorum maleficam esse priuatiuè, quia priuat dæmonem signo quod suæ læsionis dedit, tantum abest hoc quod putauerit subtilis Doctor beneficam, imò meritoriam dici si demum maleficam priuatiuam vocat, quia etiamsi talis curatio sit malefica, id tamē est priuatiuè. Nunquam hanc philosophandi argutiem approbandam puto, in plurimis quippè quæstiunculis ea vtuntur viri etiam docti, quasi dicant lignum formaliter frigidum esse calore priuatiuo affectum, at cum euidens sit, omne ens tale dici per formam qua quale est, cum formæ priuatio forma non sit, quo iure subiectum illa priuatione denominabitur eadem voce qua ab habitu, seu forma cuius est denominaretur itaque lignum actu frigidum calidum priuatiuè nominare, ludere potius verbis, quam philosophari est. Neque secūdum Piperni assertum sustineri facilè potest. Quamuis enim vèrè Deus optimus res certas eleuare possit, vt tanquam sui iuris Diuini instrumenta non solum opera diaboli destruant, sed & ipsum inimicum contorqueant; nihilominus vbi pessimus bilem applicat quæ cor accendat ac febrim causet, si frigida materia adhibeatur, quæ cauma bilis temperet, curatio illa erit naturalis nulla superueniente naturalis agentis eleuatione. Verùm si Pipernus putat remedia medica contra dæmonis morbum supernaturaliter adiuuari, hanc curationem naturalem dicere inconsequentiam doctrinæ præmonstrat. Legito Torreblancam lib. 2. de mag. c. 52.

Communis sensus de morbis in soluta vnitate naturali traditur; probabilior proponitur & firmatur.

SEquuntur morbi in soluta vnitate naturali quorum natura, 33.
vel in separatione partium, vel (quod communius arbitror) in dispositione præternaturali, ibi resultante consistit, quouis tamen

modo loquamur horum morborum medela, in reparatione deperditæ substantiæ stat. Opus sanè nutritiuæ virtuti solummodò debitum. Prærequitur, nihilominus extraneorum sublatio, vt sanguinis grumefacti, puris, pili, & huius census aliorum quæ omnia Galenus expressit lib. art. Medic. c. 9. lib. 3. Meth. c. 3. & 4. & lib. 4. eiusdem operis cap 1 at verò cum possit Diabolus his omnibus incumbere, quo minus de medio tollantur; communiter supponitur prædictos morbos, nullis naturalibus remediis posse fugari, possunt quippè ipsi immanes hostes substrahere medicamenta, ad digestionem, aut munditiem vlceris, adhibita, vel ipsis contra operantia supponere possunt & sanguinem ad partem missum pro reparandæ subsidio subripere: possunt naturalem, ac influentem ex viuifico corde calorem cohibere. quibus omnibus aut singulis ab ipsis patratis, impossibilis per naturam videtur, solutionis continuitatis, vnio, ac deficientis particulæ regeneratio.

34. Quæ solutio quamuis ad pensum communis iudicij tradatur. stricta satis mihi videtur ac iuris non parum perfidis spiritibus concedit. Dicendum ergò opinor præmissæ nuperrimæ doctrinæ hærens, morbos in soluta naturali partium vnione vocatos, ope dæmonis inflictos, viribus posse curari naturæ, item repetam quod antea præmisi, nequire (intellige Dæmonem) motum corpori iniicere, ipsumue retinere; quantocumque motu, quantalibet celeritate, vel impulsu quolibet; tenetur enim naturæ, & conditioni mobilis accommodari, vt ex Angelico Doctore num. 27. deduxi. Tenuia quippè corpora medio impulsu potius, quam robusto pellentur. Densiora verò fortiori quam moderato. Secus illa discutientur, destruentúrque; ista verò immota, vim conferent impellenti. ergò substantias tenues, ac facile dissolubiles, quales in nobis humores, naturales aut præternaturales substantiæ sunt; nequiuit pessimus spiritus quocunque motu agere, vel conseruare quacunque quiete, sed moderata, ne nimio conatu substantiæ illæ dissoluantur, quod ab eius infenso animo abhorret. Cum si illud accidat instrumento orbatus incassum operaturum calleat Poterit ergo Chirurgus contrà dæmonis impulsum, aut actionem moderatam qua fouentur extraneæ illæ substantiæ in vulnere, substantias easdem præparare, ac remouere, vel si pugna vtrinque excitetur, discutietur ac dissipabitur substantia, nam

&

& tenue filum contra eius renixum, propter eandem rationem disrumpendum clarò constat.

Putabis ipsum callidum hostem furtim applicita amouere posse, superfluasvè, ac nocituras vlceri substantias supponere. Videtur tamen mihi contra eius intentum operari posse, nam cognita eius versutia, apposita ab illo furtim, remoueri non implicat propter adductam rationem. Instabis violentum spiritum influentem ex communi officina succum, pro partis deficientis in vlcere repositione, aut spiritum ipsum è corde viuificum omnium actionum in nobis instrumentum subripere valere. At non habeo quid dicam, si quod potest & vult sæuus ille Diuina voluntate permittatur, sed sæpius, imò ferè semper atra eius malitia premitur ac limitatur à pia ac misericordi omnipotentia. 35.

Ni faciat maria, ac terras, cælumque profundum
Quippe ferant rapidi secum verrantque per auras.

Vt cum Poëta loquar. Præmissa doctrina ab extraordinaria absolutave permissione abstrahit, si enim quod vult rabidus dæmon, quod potest crudelis eius vis expectemus aut supponamus, etiam voracem ignem tenui stupæ applicitum frustra operaturum fore contra eius animum fatebor, si quod potest obstaculum cautè subiiciat: quod hucusque contendo, solum tenet de ordinario agentium opere contrà ea quæ mediis ipsis actiuis ipse contendit patrare. permissione absoluta Dei seclusa, sed naturæ in rebus ab eius miro Authore, ordine communi seruato. Sic nequit ille inuidus, ordinatos cælestium corporum motus, aut detinere, aut retardare, neque in rerum natura causare vacuum, neque in instanti mobile per locum mouere, nequit duo corpora in vno, aut vnum in duobus locis circumscribere vt præ aliis optimè docuit Suarius 2. tom. Meth. disput. 35. sect. 6. num. 27. hæc & plura nequit ille: posset aliàs, vniuersum aut construere, aut destruere, rerumuè naturas peruertere, sed si in Cosmo id est maiori mundo, isthæc fateri contra diabolum, videtur rationi consonum, cur in microcosmo id est homine, eadem potiori iure non profitebimur? si nequit ille aquæ guttam concitato aliquando motu absque liquoris dispendio, agitare, cur poterit quantocunque humorem humanum intra nos ciere? id verò quia mobilis natura qualis succorum nostrorum, fluida est ac liquida tanto motu potest

moueri tanto retineri,non fortiori,ergò applicito naturali agenti ille humor amouetur è parte, vbi lædit, vel ad illam trahetur,vbi proficiet,velit nolit spiritus nequam.

36. Idem iudico de ossium humanorum contorsione, dislocatione aut fractione, at obiicies sufficere ad difficilem vlceris curationem,si proteruus spiritus partium separatarum vbicationes(vt sic loquar)pro viribus conseruet. Respondeo tamen vulnus hoc ipso sanari,quod nutritio adsit, ac partium deficientium regeneratio intersit,sed si nutritio adsit, quam de lege ordinaria dæmon non interrumpit,dabitur vlceris aut ossis confracti restitutio,conseruet ille partium separatarum vbicationes, aut non: cum diuisæ partes dum vulnus curatur non moueantur localiter, altera versus alteram; id quidem sutor rupto in calceo operatur; sed vtrique denuò per nutritionem noua pars vnitur. Ergo si dæmon vlceris quod patrauit mundificationem, & caloris spirituosi, ac viuifici cursum, aut alimenti descensum ad partem nequit impedire,siue conseruet,siue non partium vbicationes, vlceris sanatio subsequetur, intelligito hæc,dummodo alia accidentia naturalia his non obstent. nam si vulnus esset magnum propter rationes à Galeno exaratas lib. 4. Meth. cap. 6. difficilem curationem,à quouis fuisset inflictum ex natura haberet. Animaduersum maximoperè in calce velim omnia medicamenta in prædictorum morborum curatione adhibita, non ea fide adhibenda solum, quod in eis tantum subsistendum putem, sed semper omnia ab Ecclesiæ Catholico Ministro benedicta habeamus,precibusque,& orationibus eiusdem Ecclesiæ munita. Sic animaduersum habemus ab infallibili ac Diuino oraculo Ecclesiast. cap. 38. *Fili in infirmitate tua ne despicias te ipsum,sed ora Dominum, & ipse curabit te, auerte à delicto, & dirige manus, & ab omni delicto munda cor tuum,da suauitatem, & memoriam similaginis, & impingua oblationem,& da locum medico.* Itaque Diuina ac naturalia remedia simul adhibere oportet, quod opere sacri Apostoli in medendo præstabant vt aliqui putarunt. nam D. Matthæi cap. 6. legitur. *Et ipsi dæmonia eiiciebant,& vngebant oleo multos ægros & sanabant.*

His quæ contrariè sunt opposita sit satis.

FVgemus superest quæ præfatæ doctrinæ tenebras offundere videntur. ante dęmoniaca medicamenta num. 15. relata virtute aliqua in dæmones pollere ex sua essentia, aut elementatione, nugæ meræ sunt vel si contendat alius supernaturali virtute ea donari qua dæmones immediatè, & proximè pellant, id quidem vt fuisse non repugnat; sic probare haud facile est. Delrius vero Cordatus quædam medicamenta ex Baptista Condonehro, adducit dæmonum afflictiua. Reducit tamen eorum virtutem & efficaciam ad immediatam actionem, quam eliciunt contrà illam quam agens materiale à dæmone applicitum in obsessum imprimit, indéque affectus præternaturales quibus homo læditur proximè ac immediatè corriguntur. nonnulla verò apud ipsum Iesuitam ex Condrocho adducuntur medicamenta, de quorum operandi modo, aut veritate dubitare liceat. Legite dum vacet, sed expendite dum legeritis, an potius factis quàm dictis standum; interim prænoscentes, mirabilium causarum existentiam creditu facillimam esse, effectuum verò earum difficillimam quia plura mirantur in voto, quàm aduertantur in re. 37.

Quod de Tapsia ex Lusitanis commendat Apostata fidei Amatus, prorsus vanum ac superstitiosum est vt num. 15. transcripsi, ni mauis hanc herbam virtute naturali qua pollet purgandi humores biliosos & præter hæc rebelles & antiquos, vt docuit Dioscorid. lib. 4. c. 158. posse opera diaboli media illa exercita aut destruere aut cohibere. At non video Lusitanum hac ratione Tapsiam habere. Rutæ virtus est carminatiua id est flatus resoluere apta, quibus mediis sæpè Diabolus non communia in obsesso symptomata excitat, ac proinde Ruta flatus discutiente. Dæmonem increpare ipsam circulatores mentiuntur, quo miseram plebeculam decipiant. Radici Baaras à Iosepho commendatæ eodem num. 15. pro dæmone fugando videtur Zacutus assentire, nec mirum assentiat Iudæi Historiæ, qui Christianæ Religioni perfidus dissentit. at cum radix illa, tam superstitiosa euulsione eradicetur, optimo iure à doctissimo Delrio suspecta habetur, & mihi certè sine suspicione fabula reputatur, vel si vero 38.

consentiret

consentiret de dæmonis consortio (nam etiam plantis immiscetur) suspicionem leuem non præbet. Betonica ex Dioscoride vbi suprà cap. 1. vomitorium est medicamen, item conuulsionem ex repletione, imò eandem ex affectu histerico curat, serpentium veneficorum morsibus præcauet operam, Epilepsiæ & Maniæ succurrit, & mille aliis beneficiorum sortibus, ægritudinibus diabolicis, proficua existit, in quo sensu Antonius Musa Medicus sua ætate celeberrimus accipiendus venit. Arthemisia adeò valens diureticum est, quod eius vis ad fœtus grandioris expulsionem ab vtero valere possit, vnde ad obstructiones renum & vesicæ calculum vtile, Rhamnus, & Hypericon herbæ sunt calfaciendi & siccandi notissima virtute donatæ, vt & Galen. scribit lib. 8. simplic. vnde manu gestatam continuo ad eosdem affectus, quos Betonica, valere possunt, sic Pœonia collo pueri appensa Epilepsiam mira sorte sanauit, vt ibi obseruat Galen. at istorum medicaminum nulla in dæmones immediatè operantur, sed in causas, aut effectus mediis his patratos, iuxta ea quæ suprà à num. 23. notaui, consulito Delrium lib. 2. c. 2. sect. 2 q. 3.

39. Ab his ergò medicamentis omnis superstitiosa conditio, aut obseruatio euellenda est, eorum natura & complexio inquirenda, & si affectui diabolico opponi sua naturali virtute potest, detecta superstitione ad causam naturalem reduci debent, sin nulla intersit, inter vtrumque vel naturalis contrarietas, aut ad actionem & passionem proportio nihili pendenda sunt, vel si effectus sequatur de occulto dæmonis opere arguenda. Authoritas Iosephi num. 16. relata apocrypha Zacuto habetur tom. 1. lib. 1. q. 53. Salomoni scilicet dæmonum eiectionem mediis incantationibus falso fuisse impositam, sed quia Rex artem veneficia soluendi callebat, & exercebat proinde incantare ipsum dæmones tum temporis putabatur; at super hoc recolito dub. 3. à num. 7. vbi de verborum efficacia ad vnguem actum extat. Suffitus illarum rerum pro fuga dæmonum ex corpore humano suspecti Delrio habentur lib. 2. q. 30. sect. 3. Sed Moura sect. 2. cap. 5. num 12. de Radice Salomonis affirmat fabulam apud aliquos esse, crebriorem tamen sententiam veritatem esse supponere, iuxta quam ex D. Thom. & aliis, non infimæ notæ Authoribus dici posse putat illam ex vi pacti dæmonis permissione diuina præexistente post illius

illius Regis lapsum operatam fuisse, at de illa radice & cæteris huius pænè infinitis medicamentis sentiendum securius puto, ad pensum rationis in principio huius numeri propositæ. Miranda interim venit dæmonis versutia, cum illa quæ suffitu cerebrum humanum intrant, vbi illud attingant ipsum maximoperè tentare, atque irritare necessarium sit. Inde concutitur caput agitur cerebrum, totúmque corpus quia eius truncus irritatione à suffitu præsensa, quo nocumentum excutiat localiter mouetur, nam & aguntur rami dum arboris truncus impellitur, tunc porrò putant exorcistæ dæmones eorum imprecationibus quas suffitibus immiscent obsistere; sed imponit illis & plebi Diabolus, non enim resistit, sed potius placet, sic quippè obsessus suffumigiis suffocatur, fatigatur odore prauo; ac motu laborioso affligitur. Posset fortè nihilominus humor caput infestans, si præiisset corporis vacuatio expelli, ac dissipari, quod vtile per naturam esset.

De interaneis piscis Tobiæ ab Angelico Medico Raphaële 40. præmonstratis putat Moura sect. 2. c. 5. num. 10. non aliqua naturali potentia iuuenem illa iuuasse, sed supernaturali efficacia, vel potiùs moraliter tantùm pellente immediatè ipso Angelo Asmodæum. Eruditissimus Ioannes Eusebius Iesuita ad virtutem naturalem interaneorum casus reduxit lib. 1. Curios. Philosoph cap. 49. non tamen proinde consortium supernaturale ad opus negat, itaque illud iecur agentis naturalis more, suâ propria virtute veneficia Asmodæi destruere valuit, qualitates aëri aut Tobiæ inducendo contrarias efficaciter illis, quas cautus spiritus mediis veneficiis supponebat. Vnde illa operatio iecoris suo medio suffitu immediatè in instrumenta venefica tetendit in Asmodeum mediatè, vt suprà non semel explicaui, & firmat Torreblanca, vbi sæpè disput. 52. à num. 9. ad 14.

Interpretatur assertum ex libro de morbo sacro Hippocratis scriptis inserto.

ACcedunt Blaterones, ac garruli eodem num. 16. in libri de 41. morbo sacro contextu insinuato, qui simulata prauitate, ac

 ignorantia

ignorantia, illum morbum velut à Deo illatum difficillimum curationis prædicabant imponentes ægris, & adstantibus dupliciter. Primò, quia suis incantationibus adhibitis, si curatio non succederet, fides non detrahebatur, cum morbus à Deo inductus nulla ratione ipso inuito possit curari; secundò quia si è contrà morbi sublatio contingeret, summi pretij, & æstimationis eorum vanæ imprecationes redderentur. Conqueritur ibi ille Author de istorum superba ignorantia, ac mendacio arroganti, Deus bonè vtinam hac ætate tot istorum ignorantum nebulones communes locos non voluerent, quot in communibus, & priuatis circulari patimur, non aliud videre Patres. Hippocr. idem reprehendit 1. de natura humana text. 25. idem Gal. 1. de element. secund. Hippocr. c. 4. audi. *Cuiuscunque lingua, magis soluta fluénsque turba visa fuerit is in ea disputatione superior iudicatur.* Tolerabilius malum esset, si garrulis tantùm, ac superstitiosis hominibus molestaremur, sunt proh dolor! in omni scientia Blaterones pertinaces, qui verborum fucato ornatu scientissimos se prædicant, ac ignoranti plebeculæ promittunt, sic inscitos nescia plebs scit, veneratur. Scitos nescit, imò contemnit? cur putas? quia stultorum numerus est infinitus, vix cordatos aut doctos homines dignoscimus, quare doctorum virorum in vnaquaque scientia calamitas continua existit, quia numerosior ignorantum caterua nescit ab indoctis eruditos distinguere, quin potiùs, quod sensibilius torquet contemptis doctis ignorantes garruli accipiuntur approbantur, honoribus ornantur, sic vitiositas virtutis vestem induit, & ni sacra sciendi fames cogeret Philosophantium animas, vix laboriosa litterarum cura in tam insolenti earum despectu sustineri posset; sed ad callidos redeo expiatores.

42. A balneis abstinere ægros suadebant, vt putat Vallesius, id consulentes quo sublata maxima, ac notissima talium morborum curatione maior expiationibus authoritas accederet, nimirum melancholici morbi, quales sunt plerumque quos dæmon ciet, nullo auxilio magis quàm balneo curari solent, & quidem verum suspicaretur Vallesius si ex illo contextu constaret circulatores illos morbi melancholiæ curam gessisse sed constat clarè morbo sacro, qui à melancholico alius est, illos intendisse, cui morbo balneum vtile esse, neque Hippocrates neque Galenus dixere

dixêre neque Veterum, aut Neothericorum Medicorum quisquam balnei ad Epilepsiæ, aut morbi sacri curationem meminerunt, omitto sulphurea, aut bituminosa balnea, nam hæc vtilia esse Altomarus, Massaria & alij protulerunt, quia eo loci de balneo aquæ dulcis, quod alio sæculo in frequenti vsu erat mentio facta est. Neque placet quod noster Abbas addit posse scilicet balneum pituitam communem Epilepsiæ causam discutere, namque si illorum magorum ignorantiam super hoc textu carpit quia subtrahebant remedium quod in calida dispositione hepatis prodesse posset, cum id thermis non insit videtur noster Primarius de balneo aquæ dulcis textum interpretari: at tale Epilepsiæ à pituita pendenti, qui succus frigidus humidusque est, nequit proficere, non ergo Magi balnea improbabant, quia callidè remedium morbi sacri excludere conarentur, propterea probabilius coniectari licet balnei interdictionem ab illis adhibitam, quo causam seu occasionem morbi prædicti remouerent, quia illo sæculo cum balnea in communi ac quotidiano vsu existerent, non solum pro deliciis, sed pro valetudinis conseruatione vt Gal. habet lib. 10. Method. c. 10. ob balnei importunum vsum, vel potius propter abusum copia excrementorum congerebatur intemperabantur præterea frigiditate ac humiditate corpora, vnde materia abundabat pro morbi sacri inuasione, quæ balnei incommoda Auicenna recollegit fen. 2. lib. 1. illi ergò impostores balnea interdicebant, vt importunè vsa, sic morbi sacri, aut inuasionem aut augmentum prohibebant, sic leuato morbo eorum precationes pluris habebantur. at ex his constat illum morbum illo sæculo diaboli iniuria non fuisse illatum, neque in prauum spiritum balneum quidquam immediatè posse, quod erat præcipuum intentum.

Interdicebant multa cibaria, atque intereà mullos ex aquatilibus, melanuros, mugiles, ac anguillas edocti à dæmone fortassis inconuenientiam illorum victuum in morbo sacro, quippè, vt & Paulus habet lib 1. c. 90. & repetit Vega 1. de arte Medendi cap. 11. Omnes Pisces frigidioris, & humidioris succi esse nulli non constat Vnde quamuis à Galeno lib. 3 de alimentorum facultat. quædam aquatilium genera ad victus rationem laudentur, id docet comparatione minus mali, ad peius facta, vt caput 43.

25. lib. 3. de alimentor. facult. demonstrat, illa ergo maritima animalia, vt generatim omnia, causam morbi sacri excitare potentia disconuenire callebant Magi, propterà illorum remotio sublatio causæ morbi erat, non verò in dæmones operatio aliqua. Caprina caro, vt ipse Galenus expertus fuit lib. proximè citato c. 2. praui succi est, & prætereà acris, & mordacis. Ceruina crassæ substantiæ est & concoctu difficilis. vt ibidem aduertit. Suilla caro homini exercitato multum præstat alimentum, sed quod lentore noxium, vnde incommodè per vias distribuitur, at viscositas alimenti, seu lentor incommodum abs dubio est non leue sanitati aut reparandæ, aut fouendæ, proinde Galenus ipse eo loci, athletis in vsu fuisse retulit, quibus saginandi causa illa caro erat communis, præuia tamen valida ab eis consueta exercitatione in stadiis alias innoxiè non assumeretur, Canina verò etiam illo sæculo alimentum erat, imò in Cozumella & Iucatana apud Indos canes altiles haberi ad vescendum memoriæ dedit Iulius Scaliger exercitatione 202. §. 3. sed si eius eruditioni fidem præstare liceat, Philosophicæ subtilitati hærens affirmat, vehementer errare eos qui canes calidos temperatura prædicant, cum tamen ipsos frigiditate pollere naturali facilitas eorum ad frigendum, ac tremendum præbet. Cui sententiæ si adhærere liceat, notet clarè quam noxia eorum caro morbo sacro affectis existat qui ab humore frigido ac pituitoso pendet. legito Iulium exercitat. 274. §. . sed si canes temperie calida donatos repures (quod parum subtiliter negat ibi Scaliger) vt affirmat Hippocr. lib. de diæta textu 16. & Galen. firmat. 1. de temperam. c. 5. caro eorum animalium caloris quo pollet, causa & siccitatis haud comitialibus obesset. Sed cum aluum sistat; vt Hippocrates ibidem docet, noxia abs dubio illi morbo haberetur, atque obinde interdicta, ni malis, vt hic aduertit noster Abbas illarum carnium prohibitiones, propter vanos ritus ac expiationes, commendatas fuisse. Verum cum quouis modo illæ interdicerentur in morbi sacri prohibitionem, aut curam illud fieret, nullaque ratione in dæmonum immediatam fugam, constat ex illo textu nihil contrà conclusionem deduci.

44. Idem dicito de carnium illorum volucrum amotione, & Gallus quidem si annosus sit ratione caloris extranei, quem ætatis

cursu

cursu acquirit, mordacitatem recipit, ac proinde ius in quo caro elixatur ventrem subducit, vt Galen. confirmat lib. de attenuant. vict. ration. c. 7. & lib. 11. sympt. Quamuis enim annosa animalia frigida ac sicca reddantur, at aliqua velut Gallus excrementorum ratione calidiora reddi non inconuenit, nam & homo vetus siccior natura est, humidior vero excrementitiè. Id quod de Gallo dicebam, constare arbitror in iuris eius virtute subductoria, quę humiditatis ratione non fit, sed partium quarundam acrimonia præditarum, in iure existentium, quæ aluum excitant, ac ad vacuationem mouent. Est præterea Gallus annosus de quo textum accipio, duræ substantiæ ac difficilis coctionis, vnde ratione huius & acrimoniæ, qua caput valet tentare, noxium alimentum, his qui morbo comitiali patiuntur existit. Futilis est aliquorum interpretatio de Gallo iuniore id est de pullo, is quippè, boni succi ac facilis coctionis est. Futilior etiam aliorum, qui Gallum interdictum interpretantur vt substraherent Magi maximum illis ægris remedium quale cerebrum eius auis est, quod multifariam humanum roborare Rhasius scripsit. Sed quamuis verum dicat hic Arabs, Gallus prohiberi videtur, non eius cerebrum, vnde non est quod nomine *Galli* cerebrum ex cerebro intelligamus. Turtures Authore Paulo lib. 1. cap. 82. duræ substantiæ sunt, ac proinde non facilis coctionis, ideo in prædicto affectu disconuenientes reputantur. Otidem auim ad curationem prohibuere Magi, quia volucris sit, si Plinio credimus, non mediocris corporaturæ, volatu tarda, vndè ad alimentum reprobabilis, quia substantiam arguit terrestrem concoctuque difficilem. nobis vt noster notat Abbas *abutarda* dicitur. Constat ergò ni aliqua in Gallo, Turture, ac Otide vana religio à magis obseruaretur, prædictas carnes noxias esse, sacro morbo immediatè, non verò dæmonibus qui Dei permissu illum affectum concitabant, vt expiatores supponebant.

Ex oleribus, Mentham allia, cepásque substrahebant, de quibus ceu de oleribus omnibusque vniuersim aduersum reliquit Gal. lib. 2. de aliment. facult. c. 39. praui esse succi idem firmat cap sequenti, at Mentha nostri Doctissimi Abbatis commento acrimonia poterat nociua Epilepticis existere, quia illa acris gustu est, vt ipse Galenus lib. 6. Simplicium notat, & cum acria irri- 45.

tare, ac mordere partes apta sint, posset acris mentha cerebrum comesta pungere, ac comitialem paroxismum inducere, quæ incommoda apertiora in alliis & cepis inueniuntur, cum acria admodum esse lib. de aliment. facult. citat. cap. 71. profiteatur Galenus. itaque horum esum, si cruda assumebantur, noxium futurum fore Epilepticis constat. Vnde ab Empiricis ratione interdicebantur, quamuis vt credo illam ipsi haud callebant, sed vel diaboli persuasione, aut medicorum exemplo ducti. Neque menthæ vsus hoc crudeli morbo cruciatis propter eam rationem solum erit aduersus, sed potissimùm quia, vt & Galenus expertus est, olus hoc, libidini incitandæ sit pronum, Venus autem in hoc morbo vt pestis fugienda Doctissimi Sennerti consilio tom. 2. lib. 1. pag. 2. cap 31. quippè vt ipse Pergamenus lib. 3. Epid. sect. 1. comm. 4. prope finem meminit, Democritus paruam Epilepsiam Venerem nuncupabat Aulus Gellius lib. 19. c. 2. ad finem sic habet. *Hippocrates autem Diuina vir scientia, de coitu Venereo ita existimabat partem quandam esse morbi teterrimi, quem nostri Comitialem dixêre.* Venus quippe ventriculum labefactat, alimenti coctionem turbat, spiritus dissipat, ac vires corporis deiicit, mentem infirmat, ac rationem obtenebrat, proinde Galen. lib. 6. Epidem. sect. 5. comm. 26. Comitialem morbum in peius veneris vsu quotidie labi pronunciat, quæ omnia de immoderata libidine, intelligenda video, sed cum Mentha raro esitata mediocriter venerem iuuet, sic continuò vsa immodicè illam excitabit, quare continuus ex ea victus, ratione non leui, quamuis superstitiosè fucata, ab impostoribus illo sæculo fuerat interdicta.

46. Pallium nigrum incommodum reputabant ad morbi sacri curationem. Galenus lib. 3. de locis cap. 7. Supponit hunc morbum à melancholico humore obscuro natura nigróque aliquando causari, verba sunt. *Ergo sicuti crassus pituitæ succus ita Melancholicus quoque comitialem morbum solet efficere, vbi in meatibus ventriculorum cerebri retinetur.* Sequitur Arabum Princeps Medicotum fen. 1. 3. tract. 5 c. 8. firmant Doctissimi nostri Primarij, Mercatus & Maroja libris primis de intern. morb. curat. Vnde cum tristia obiecta mentem angant humanam ac tristitiam foueant, quæ ex succo melancholico ortum ducit, sic pallia nigra de medio expiatores tollebant ne tristabilium aspectus, causam

internam

internam fouerent. Galenus quippè ipse eodem lib. de locis exteriores tenebras, omnibus hominibus timorem ac tristitiam inducere profert, nisi illorum aliqui, natura prudentes audacésue sint, sic color niger tenebris haud dissimilis, tristitiam hominibus ex melancholia morbum sacrum patientibus induceret, ac proinde nigricantium vestium vsus eis erat interdictus, ne scilicet morbi causam excitaret, vel eius effectum foueret, quo succo melancholico abstracto, Dæmoni qui illi humori frequentius immiscetur instrumentum quasi commune aufertur, ac commoda lædendi occasio. In caprina pelle, decubitus prohibebatur, atque eiusdem pellis pro veste vsus, rationem reddit Author eius libri de morbo sacro, quia scilicet capra siue comesta, siue admota morbum sacrum auget imò prædicto morbo hoc animal corripi affirmant aliqui. Vnde interdictio pellis & carnis caprinæ ratione nitebatur bona, quamuis mihi non placet illorum sententia, qui supponunt qualitates viuentium animalium in eisdem post interitum permanere, quia vipera venefica est homini, dum viuit, at mortua benefica, neque in libro de morbo sacro aliud intellige de carne caprina, aut eiusdem pelle, sed de hoc puncto aliàs, Pedem supra pedem, aut manum supra manum habere ægros illos reprobabant Empyrici, quia vt subtilis Vallesius aduertit cogitabundi, aut tristis animi positiones sunt. Illis verò animi expiratio, ac hilaritas necessariæ maximè sunt. Vel quia illæ positiones otium denotant huic morbo noxium, cum motus conueniat tempestiuus quo morbi causa tenax, ac crassa attenuetur discutiaturque. Ex quibus notet impostores prædictos remediis vsos naturalibus fuisse, quæ morbum aut causam immediatè refrangerent, non verò in dæmones immediatè operarentur, quòd eorum callida ac apocrypha simulatio intendebat.

Ex dæmonis tormento in æterno igne non inferri actionem aliorum agentium materialium in illum exponitur.

ARgumentum à simili de igne materiali Diabolos cruciante 47.
num, 17. relatum hebetioris aculei mihi videtur quam alij putarunt.

putarunt. Tum primò quia si esset probabilis sententia opinantium ignem infernum verè talem non esse; sed metaphoricè tantum, vt habetur apud Doctorem Ecclesiæ aureum Diuum Augustinum lib. 21. de Ciuit. cap. 9. quam Durandus in 4. dist. 44. q. 11. num. 9. profitetur, ea opinione (licet improbabili) adhuc retenta, dici posset Diabolos dolore ac tristitia spirituali ex amissione æternæ vitæ potius angi quam medio aliquo igne materiali. Sed cum verissima ac certo certior inter sacros Theologiæ Patres contraria sententia existat. Nullus tamen eorum putauit ignem infernum (materialem, ac cum elementari sublunari specie vnum) dæmones calore proprio, aut aliqua alia qualitate sibi naturali torquere sed eleuatiori alia ratione, quam expendere licet apud D. Th. 1. p. q. 64. art. 4. ad 5. Doctorem subtilem in 4. q 4 dist. 46. §. ad quæstionem num. 5. vers. *duplex est*. & alios quos refert Doctissimus Suarius tract. de Angel. lib. 8. cap. 14. num. 4. Cum spiritus illi alterationis materialis, quæ passio generabilium ac corruptibilium est, incapaces sint, at dolor materialis subita, ac affatim facta alteratio est, omnium medicorum calculo cum Hippocrate lib. de locis in homine cum Gal. 1. de causis sympt. c. 6. & 2. eiusdem operis c. 5. & 6. & sæpè alibi. Auicenna fen. 2. 1. c. 19. Aristot. 2. de anima c. 3. Angelico Præceptore 1. 2. q. 35. art. 1. & 2. sent. distinct. 15 art. 3. alteratio deinde materialis dolorosa proinde talis est, quia organum tactiuæ potentiæ, conuenienti ac proportionata vitæ qualitate priuat, qua organum salubriter potentiam in se fouet ac iuuat, quæ omnia omni spirituali creaturæ accidere non posse notius est, quam rationum apparatu monstrari debeat.

48. Propterea Theologorum schola in varias super huius rei explicatione classes diuisa est. Putarunt quidam ignem æternum qualitatem spiritualem nequissimis spiritibus imprimere, qua mediante eius alterationem formaliter experiantur. Alij voluêre prædictum elementum, præter calorem sibi connaturalem, alio spirituali calore donari, quo maleuolos spiritus cruciet. Sensêre alteri media solum efficaci ac cruciante apprehensione id illis accidere, non desunt qui velint igniuomum elementum operari in dæmones tristem illum dolorem quem in anima pro hoc statu operatur. Putarunt alij obedientialiter solum illud tormentum

causare.

causare. Denique non pauci dixêre ignem corporeum spiritus torquere, vel per modum carceris detinentis illas in certo loco ne propria fruantur libertate, vel per modum obiecti cogentis illos ad sui considerationem, ne pro arbitrio alia obiecta cogitent; quæ singula super re adeò difficili iudicia in medium proferre placuit, non quia extra chorum psallere præsumam; sed vt ex his communioribus theologizandi sententiis noteat, ignem æternum non propria ac natiua vi dæmones constringere ac damnare, sed Diuina supernaturali ratione à Deo Optimo decreta, quam virtutem superadditam illi elemento credimus. Sed illegitimè ex illa inferre licet Deum eandem cæteris, aut aliquibus agentibus materialibus indidisse in eundem finem, vno dempto sacratissimo nomine IESV. Vna diuina excepta cruce, ac aqua benedicta, in his enim infernus constringitur, fugatur diabolus, ac vniuersus tremet Orcus. Verùm enim verò, cum hæc particularia gratiæ dona sint supernaturaliter gratis data, non licet ex his inferre eandem gratiam aliis mixtis fuisse concessam; nedum naturaliter donatam. Inde etiam clarè constat eundem ignem, & aliud quiduis tactile obiectum, animam nostram alterare sensatione potentiæ materialis præuia in organo corporeo, quippe vt Angelicus Doctor habet 2. contra gent c. 96. *Sensibilia enim secundum suam naturam nata sunt apprehendi per sensum sicut intelligibilia per intellectum.* Vnde quamuis anima corpori vnita alterationem materialem sentiat medio organo, non sic ab eo separata, neque immediatè illa, aut quiuis spiritus, ab agente corporeo quoquomodo pati potest.

Absit ergò à Christiano ac vero Medicinæ cultore superstitiosa commentatio, & in morbis ab immundo spiritu causatis, primus proponendus Deus, sacræ Ecclesiæ proponendi Exorcismi; precationésque ac Sacerdotes eius veri Ministri venerandi, præponendi. Secundò auferendæ per medicum causæ quibus ipsi liuidi hostes abutuntur, sic piè & prudenter Vallesius consulit vbi sæpe. *Hæc cum ità se habeant* (inquit) *constat ex his omnibus quæ dicta sunt verosimile esse plurimos eorum qui dæmonis opinione ad exorcistas deferuntur dæmonem non habere, sed morbis aliquibus eorum, qui dicti sunt teneri, & præ inopia consilij, cum tentatæ sint aliæ curationes anteà; neque sufficiant deferri ad illos, id quod merito* 49.

Hippocr. lib. de morb. sacro reprehendit, esse tamen etiam aliquos quibus talium morborum causa est dæmon, illisque curationem naturalem non esse satis. Confert tamen non in ipsos dæmones per se, sed ob morbos ipsos, aut eorum symptomata, aut internas causas quas dæmon ciet. Coronet opus (aliàs indignum corona) Origenes lib. 3. in Iob. hisce verbis. *Non sumus Idolorum, neque incantationum, neque auguriorum, neque Diuinationum, neque maleficiorum, neque Philacteriarum, neque vllius horum, quæ sunt seruitus dæmonum, & diaboli seductiones, sed Domini sumus qui dominatur vitæ & morti, qui habet potestatem carnis, & spiritus in cuius manibus viuorum spiramentum est.* Hæc his ego illa de Opusculo, quod vtinam in gratiam, & vtilitatem prodatur vniuersam, submissum tamen, priùs quàm calamo exaratum, Sanctæ Romanæ Ecclesiæ correctioni.

FINIS.

INDEX

INDEX RERVM, QVÆ IN HOC OPVSCVLO CONTINENTVR.

A

Ætites.

ÆTITES lapis, eius virtus contra fascinum. pag. 10. num. 3

Africani.

Quorundam Africanorum virulenta vis ex oculis. p. 11. n. 4. & 5

Alteratio.

Omnis alteratio corruptiua est propter generationem. p. 23, n. 18

Andreas Laurentius.

Andreæ Laur. liber de mirabili vi strumas sanandi, &c. notatur. p. 153. n. 12

Animal.

Animalium quorumdam mira virtus. p. 143. n. 6

Antonius Carthaginensis.

Antonij Carthag. opinio de fascino, refellitur. p. 30. n. 28. & seqq.

Quas conditiones ille Author ad fascinum operandum comminiscitur. p. 35. n. 37

Antropophagi.

Antropophagi putido halitu, alios homines necabant. p. 39. n. 41

Aquila.

Aquila, qua ratione pullorum fascino præcaueat. p. 10. n. 3

Aristoteles.

Interpretatur Aristoteles de operatione potentiæ visiuæ ad extra. p. 46. n. 8. & seqq.

Astrum.

An possit quis sub astro gigni virtute fascinandi prædito. p. 23. n. 18

Athleta.

Habitus Athletarum periculosi, si ad summum bonitatis attigerint. p. 6. n. 10

Augustus.

Augustus Cæsar quàm claros haberet oculos. p.61.n.27

B

Baccharis.

BAccharis herba, ad præcauendum fascinum. p.11.n.4

Bellum.

Bellica instrumenta animum excitant. p.24. num.19

Brutum.

Bruta per inuidiam aut laudationem effascinata mori, quorumdam opinio. p.7.n.13

C

Cahories.

CAhories genus hominum lynceos habens oculos. p. 13. num. 9

Cantare.

Cantare, aliquando pro incantare accipitur. p.3.n.4

Cardanus.

Cardanus reprehenditur, eiusque de fascino sententia reprobatur, p.24.n.20

Charadrius.

Charadrius suo aspectu icterum causat. p.13.n.10

Conciliator.

Conciliatoris prouerbium reprehenditur, & ipse à calumnia vindicatur. pag. 20. n. 12. & sequentibus.

Contagium.

Contagij natura, diuersitas, & ad illud conditiones exprimuntur. p.43. n.4

Contagium non pendet à voluntate. p.57.n.22

D

Dæmon.

MOrbus ope Dæmonis illatus an possit viribus curari naturæ. p.171. & seqq.

Daniel Sennertus.

Daniel Sennertus reiicitur, & virtus imaginatiuæ, ex qua fascinum admittit, de medio tollitur. p.25.n.21

E

Ebrietas.

MOrs ex ebrietate, & crapula. p.7.n.12

Elianus.

Eliani historia ad rationem reducitur. p.135.n.7

Empsalmista, Empsalmus.

Emsalmus quid. p.5.n.7

Empsalmista quis dicatur ibid. & num. 8

Eutelidas.

Eutelidas sibimet veneficus. p. 12. num.8

Fabula

F

Fabulæ.

Fabulæ quædam de mirabili virtute potentiæ visiuæ in externa contemnuntur. pag. 140. num.13

Falco.

Falco volans ad terram deiicitur solo cuiusdam serui obtutu.p.40. num.42

Familia.

Familiæ in Africa, ex quarum laudatione arescunt arbores, emoriuntur infantes. p.11.n.4

Fascinum.

Fascini nomine quid intelligatur. pag.1. 2. & seqq. num.12. & sequentibus.
Nomen *Fascinum*, nondum à Medicis exactè cognitum. pag. 2. num.1
Fascinum,ludificatio sensus per artes magicas. ibid.n.2
Fascinum dicitur vulgò,quod nocet infantibus. ibid.
Fascinum à fasce,vel fascia dictum, cur. ibid.
Fascinum ex oculorum maleficio. ibid.
Fascinum ex maleficio verborum. ibid.
Rhetorica, fascinum à quibus dicta. p.3.n.3
Nomen fascinum quotupliciter significet. p.2.n.3
Fascinum à fando deductum. p. 3. num. 4
Fascinum incan tationis genus. ibidem.
Fascino homines ligant ur. ibidem.
Fascinum à *facio*. p.8.n.14
Fascinare pro *Inuidere* apud Delrium. p.8.n.16
Fascinum ex Hebræo idem sonat, ac *leue*, *vile*, *nihili*. p.8.n.17
Quid de Fascinõ senserit antiquitas. p.9.n.1
Fascinum pessima lues Reipublicæ, apud veteres. ibid.
Fascinum visu eiaculatum. pag.11. num. 4
Fascinum vt commentum quinam exsibilarint. p.11. n.6
Fascinandi vis,ex Patroclea, ad quid reducenda. p. 12. num. 7. & 8.
Fascinum aliud naturale,aliud diabolicum. p.14.n.1
Fascinandi vis naturalis verbis denegatur. ibid.n.2.& seqq.
Exemplis eneruatur. p. 15. & 16. n.4. & seqq.
Fascinandi vis,verbis, ab imaginatiua non inest. p.22.n.16
Fascinationes ex timore & tristitia reiiciuntur. p.25. n.20
Referuntur Authores fascini præcipui sectatores. p.28.n.25
Virtus fascinandi non oritur ex cælesti constellatione. pag. 30. numer. 28
Quid de fascino verius sentiendum. p.41.n.1
Authores grauissimi adducuntur fascini possibilitatem,& existentiam abnegantes, quod tanquam Catholicæ Religioni certum & conformius approbatur. ibid.

Nomen *Fascinum* deletur, retentâ voce contagij. p.54.n.19
Fascinum nil mali extra naturam contagij significat. p.59.n.25
Fascinum non à maledica vetula, sed à docto Medico curandum. ibid.
Reiiciuntur omnia fascinatiua agentia. p.59.n.26
Fascini signa reiiciuntur. pag. 113. n.85. vsque ad p.118
Detúrne fascinum diabolicum. p. 124. n.1. & seqq.
Superstitiosæ Gentilium de fascino opiniones irridentur. p.131.n.1. & seqq.

Fortuna.

Fortuna Medici communiter expetita. p.92.n.65
Prima fortuna Medici, quæ. p.95. num. 65.
Secunda Medici fortuna exprimitur. p.96.n.68
Quænam sit tertia Medici fortuna. p.102.n.73.
Quid de Medici fortuna astrologica. p.108.n.79

G

Gagates.

Gagates lapis in fascini tutamen adducitur. p.38.n.40

H

Habitus.

Habitus Athletarum periculosus. p.6.n.10
Habitus extremè boni necessariam decidentiam, vt demonstret Galenus. ibid.11

Herba.

Quarundam herbarum singulares virtutes. p.40.n.42

Hiacinthus.

Hiacinthi lapidis virtus qualis. p. 40. n.42

Historia.

Historia Eliani ad rationem reducitur. p.135.n.7

Homo.

Homines suo aspectu maximum infantibus nocumentum inferentes. p.12.n.6

Humor.

Humores præ multitudine inculcati, obstructique putrescunt. p.6. n.11
ex Humorum plenitudine nonnulli repentè obmutescunt, sensum motúmque amittunt,&c. ibid.
Humorum moles ac multitudo calorem extinguit, ac liberum spiritui transitum intercludit. ibid.

I

Imaginatio.

Fascinandi vis Imaginationi denegatur.p.17.n.7. & seqq.

Incantatio. Incantator.

Fascinum est quoddam incantationis genus. p.3.n.4
Incantare quid sit. ibid.
Incantamentum visu induci qui senserint. p.4.n.5
Qui tactu, halitúque. ibid.

Qui ex vi imaginationis. ibid. n. 6.
Verba & carmina, vnde & cur dicta sint incantamenta. p. 4. n. 5
Incãtatores vt descripti apud Malleum Maleficorum. p. 4. n. 7

Infans.

Vir infantes etiam proprios solo obtutu necans. p. 40. n. 42

Inuidia. Inuisus.

Inuidere est nimis alterius bona intueri, ex Cicerone. p. 7. n. 14
Bruta per inuidiam effascinata. ibid. n. 13
Inuidere pro *fascinare*. p. 8. n. 14
Inuisus, id est, odio habitus. p. 8. n. 15.

Ioannes Ildephonsus.

Ioannis Ildeph. sententia de fascino. p. 37. n. 39

Iuuenis.

Iuuenis ex morsu viperæ mortui historia. p. 16. n. 5

L

Lapis.

Lapis ætites, eius virtus contra fascinum. p. 10. n. 3
Lapis gagates in fascini tutamen adducitur. p. 38. n. 40

M

Magnes.

Magnetis, singularis virtus. p. 40. n. 42

Marsi.

Quid de Marsorum virtute sentiendum. p. 135. n. 7

Medium.

Beatius est medio adhærere quam extremo. p. 7. n. 12

Morbus.

Possitne Morbus ope Dæmonis illatus, viribus curari naturæ. p. 171. n. 1. & seqq.
Morbi instrumentorum. pag. 185. num. 22
Morbi in soluta vnitate naturali. p. 195. n. 33

Mulier.

Mulier solis verbis curans varia morborum genera. p. 15. n. 4
Mulier in coitu Æthiopem imaginata, Æthiopem peperit. p. 29. n. 27

Musica.

Musica mentem alit. p. 24. n. 19

N

Natura.

Natura abhorret extrema. p. 7. n. 12

Nomen.

Vniuersa Philosophorum, & Medicorum schola abhorret à quæstione de *nomine*. p. 1. n. 1
Galenus nullam sibi esse curam nominum scripsit. p. 2. n. 1
Nominibus propter res vti est opus. ibid.
Nomen, rerum substantiam docendi, discernendíque instrumentum est, ex Platone. ibid.

O

Oculus.

QVorundam oculi, visu vrentes. p.2.n.2
Oculorum fascinum. ibid. & p.13. num. 9
Oculorum diuersa constructio expenditur. p.141.n.14

P

Pamphilus.

PAmphili Medici opinionem contempsit Galenus, quatenus herbas colligi certis verbis ac incantationibus voluerit. p.15.n.3

Plato, Platonici.

Platonicorum sententia de operatione visus ad extra refellitur. p.60.n.27
Alij Platonis sectatores, fascinum in eius sententia, de potentia visiua admittentes conuincuntur. p.64.n.32
Ex Platonis sententia adhuc admissa opinione altera, fascinum fieri non posse probatur. p. 66. num.34

Plenitudo.

Ex humorum plenitudine nonnulli repentè obmutescunt, sensum motúmque amittunt, &c. p. 6. num.11

Priapus.

Priapus fascini alexiterium apud Latinos. p.9.n.1
Priapi imago in Romanorum triũphantium curribus, cur. ibid.
Priapus *fascinum* dictus. ibid.
Priapus pudendi masculi forma repræsentatus. ibid.
Infantium thoraci appositus, qua forma. ibid.
Per campos & segetes, ipsius effigies. p.10.n.1
Hortorum seruator. ibid.
Fabella de Natal. Priapi. pag. 10. num.2
A Iunonis fascino vt liber euaserit. ibid.

Pullus.

Pullorum fascino quanam ratione præcaueant Aquilæ. p.10. n.3

Pyrrhus.

Pyrrhus solo digiti contactu poterat lienosos sanare. p.39. n.41.

Q

Qualitas.

QValitates primæ haud sunt susceptiuæ impressionum. p.19. num.11

R

Regulus.

REguli infensæ visio ad verum sensum reducitur. pag. 140. num.13

Rhetor. Rhetorica.

Rhetoricam, qui fascinandi artem dixerint. p.3. n.3
Rhetor in exilium relegatus, cur? ibid.

Romani.

Romanorum triumphantium curribus

ribus.

ribus imago Priapi cur apposita, p.9. n.1

S

Sacerdos.

Sacerdos ex graui ægritudine adeò infectus, vt omnes approximantes sibi inficeret. p.38. & 39. n.40

Saliua.

Saliuæ humanæ vis mirifica. p. 15. num. 3

Salutator.

Salutatorum Hispanorum virtus expenditur. p.156. n.14

Sanguis.

Causa fluoris sanguinis ex cadauere hominis violenter occisi in præsentia occisoris. p.160. n.20

Signum.

Remotio signi diabolici licita. pag. 192. n.30

Speculum.

Specula minutim confracta solo hominis obtutu. p.40. n.42

Spiritus.

Liberum spiritui transitum intercludit humorum moles, ac multitudo. p.6. n.11

Strumæ.

An mirabilis virtus strumas sanandi solis Galliæ Regibus concessa. p.153. n.12

T

Tactus.

Fascinum tactu induci quinam senserint. p.4. n.5

Pyrrhi Regis virtus, solo tactu lienosos sanandi. p. 39. n.41

Temperamentum.

Temperamentum naturale vnius hominis, non est præternaturale alteri. p.74. n.43

D. Thomas.

D. Thomas ab impugnatione Antonij Carthaginensis defenditur p.50. n.13

Timor.

Timor diuturnus mentis alienationem inducit. p.25. n.20

Tristitia.

Tristitia si diu perseuerauerit mentis alienationem inducit. p. 25. num. 20

Tyrij.

Tyrij nedum infantes, sed etiam adultos solo aspectu inficiebant. p. 12. n.6

V

Verbum.

Verborum ex maleficio fascinum. p.2. n.2

Quæ sit verborum natura. pag. 19. num. 11

Verba sumpta *materialiter*, quandoque virtutem habent ad sanitatem inducendam, vel mortem maturandam. p.23. n.19

Verba fascinandi vim non habent ab imaginatiua. p.22.n.16
Nec à naturali hominis temperie peculiari. p.23.n.18
Nec ab astrorum influxu. ibid.

Versus.

Versus fascinini vnde dicti. pag. 4. num. 6
Canebantur in nuptiis. ibid.

Virtus.

Virtus naturalis sanandi in hominibus aliorum hominum respectu, reprobatur. p. 89. n. 58. & p.156. n.14

Visus.

Visu an fascinum possit induci. p.4. n.5. & p.14. n.141.
Fabellæ quædam de mirabili virtute potentiæ visiuæ, contemnuntur. p.140. n.15
Visus Reguli infensus ad verum sensum reducitur. ibid.

Vocabulum.

Vocabulis non est vtendum cum pluribus, vbi ea pluribus errandi causa sunt. p.58.n.24

Volatile.

Volatilia quibusdam herbis fascinum pullis præcauent. p.10. n.2

Z

Zahories.

FAbula hominum, quos Zahories vocant, reiicitur. p.143 num. 16

FINIS.